F. IX. C
18
18202|18
Florence 29/8/10.

GONORRHOEÆ VIRULENTÆ CURATIONES.

VIRULENTAE GONORRHOEÆ SYMPTOMATA, NATURA, CAUSA & CURATIONES.

AUCTORE
GULIELMO COCKBURN,
MED. DOCTORE, & Societatis Regiæ in Britanniis Socio.

Qui ipſe ex Sermone Anglico in Latinum vertit.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ISAACUM SEVERINUM, 1717

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRÆFATIO.

INſignes eorum hominum, qui de Natura GonorrhϾ, atque Remediis, hucuſque ſcriptitarunt, hallucinationes, necnon fæda ſane atque laſciva conſcribendi ratio, tantum apud Me valoris habuerunt, ut Ego etiam ea, quæ hoc de Argumento diu ſum meditatus, in manus hominum effunderem. Atque equidem ut in hujus Morbi naturam, ejuſque curandi rationem, rite percipiendam, prurientis animi fomite (quantum fieri poteſt) remoto, Lectores perducantur, Mihi potiſſimum curæ erit. Plurimæ enim, quæ de hac Re in publicum emanarunt, Diſſertationes laſcivientis potius Animi incendia excitaſſe, quam ſana ad ipſam peſtem extinguendam auxilia Juventuti miniſtraſſe, videntur: adeo ut haud minus periculi ex hujuſmo-

di

di libris ad mentes hominum, quam ad corpora ex ipſa Contage profectum, ſæpenumero deprehendamus. Quando autem quicquid mali utraque ex parte advertitur, illud omne a ſinceriori Gonorrhœæ examine emendari poſſit, quod, nullis libidinis quaſi facibus adhibitis, ad hujus Luis penetralia pariter atque Medelam viam patefaciet, tum quidem non metuendum eſt, quin tota, quæ a Bonis Viris concedi ſolet, Benevolentia Mihi etiam danda, qui ad tam honeſtam metam auſus ſum aſpirare. In quantis rebus deficiant, quamq; imparia prorſus ſint tentamina, quæ in vulgus delapſa fuerunt, ea præſertim Medicinæ peritioribus innotuerunt, qui permulta in hac parte deſiderari lugent, vehementer expetunt ſuppeditari.

Non eſt, ut ſingulos hujus generis errores Præfationis noſtræ brevitas anteoccupet, in ſequentibus paginis ſeſe manifeſtius prodituros. Satis ſit in præ-

ſenti univerſim ſignificare, vocabula, quæ in uſu communi ſunt, obſcura eſſe, deſcriptiones Rerum haud accurate confectas, vix unum ex omnibus Symptomatibus dilucide explicatum, Morbum denique ipſum tam mediocriter cognitum haberi, ut in totius Morbi locum Unius tantum Signi *nomen ſupponatur. Ulterius igitur mirari deſinamus, magis cõgruas curandi regulas exploratas non fuiſſe, cum fontes ipſi ejus Fluminumq; progreſſus & deceſſus in abdito multum deliteſcant: ex quibus omnibus efficitur, exitum hujuſce mali ſemper ambiguum, ſæpenumero fatalem fore. Univerſas jam vero haſce hallucinationes in ſequẽti* Tractatu *non modo in apertum prolatas, ſed etiam correctàs penitus & emendatas fore confido. Cum novis Medicamentis novæ quoque Rationes excogitantur, a quibus deterrimæ* Gonorrhœæ *Vires, brevi tempore, abſque ullo dolore, maximaque cum certitudine*

effractæ protinus evaneſcunt. Quæ ad nuperum bujus Morbi in Terris partum & quaſi incunabula attinent, Ego *ab iis dedita opera abſtinui, utilius eſſe judicans, Naturam ejus Curandique Methodos aperire, quam in Rebus, tanta incertitudine implexis, hærere. Liceat igitur cum* (a) Eudoxo *in* Fernelio *conſentire, atque concludere, De* Origine *haud magna contentione decertem, ſed de illius* Cauſa *de* vi & Natura, *ex qua Curandi ratio omnis ducenda.*

(a) de Abditis rerum Cauſis Cap. 14. Lib. 11.

GONORRHOEÆ VIRULENTÆ, SYMPTOMATA, NATURA, CAUSA, ET CURATIONES.

CAP I.

Deſcriptio Gonorrhœæ

ILLA Contagis Venereæ Species, cui totam in præſenti nos operam damus, cum *Profluvio è Carne* in Sacris Literis (quæ antiquiſſima Medicinæ monumenta ætate multum ſuperant) diſertè delineato tantam ſecum ſimilitudinem, & quaſi cognationem, affert, ut Nomen etiam, quod *Profluvium* illud apud Græcos olim habuit, idem Contages noſtra apud Recentes Medicos, *Gonorrhœam* ſcilicet, ſortiatur.

Attamen autem inter Eas plurimum Diſcriminis intercedit, tum quod hæc noſtra Lues, tanquam Peſtis, ab utroque Sexu ſpargitur & propagatur, tum etiam quod longe gravioribus Symptomatibus perſtringitur; adeò ut teriori Fœdæ ſeu *Virulentæ Gonorrheæ* titulo brevi notaretur.

Fluor albulo, flavo, aut viridi Colore perfuſus,

fuſus, cum ex Pene Marium erecto aut languido erumpens, tum ex Mulierum Vagina emanans, nullis Voluptatis ſtimulis alterutro excitatis, *Virulentam Gonorrhæam* indicat.

Hoc profectò Virus, Ægrotis ſive vigilantibus ſeu dormientibus, pari ferè Unda diſtillatur, tantiſque inſuper viribus tantaque acrimonia imbuitur, ut brevi tempore interjecto miſeros, quos in curſu irrigat, Vaginæ aut Penis Meatus circumrodat, tantos dolorum quaſi aculeos inter mingendum excitans, ut ex Medicis complures Veſicam Calculo potiùs percuſſam fuiſſe, quàm Canales iſtos ſecreta ſanie vexatos primum fuerint ſuſpicati, donec ex diverſo, quem vidit Experientia, Symptomatum vultu diverſam quoque Morborum ſpeciem Medici Jampridem agnoſcere didicerunt.

Ad Viros, hac Ægritudine afflictos, Urethræ vellicatio immanem, cum Penis erigatur, dolorem affert, talemque ferè Senſum ſuſcitat, qualis eſſet perceptus, ſi Membrum illud fune quodam circumligatum conſtrictim premeretur.

Hujuſmodi autem corroſivus Humor non tantum Vaginam atque Urethram, verum etiam cæteras quoque, quas tranſcurrit, Partes exagitat, adeòque Glandis & Fræni capita convellit, ut gravis aliquandò apud Urethræ extremitatem Hiatus pateat, & Glans *Perinæum* verſus retroducatur. Virus enim, ſive in ipſo Coitus articulo; ſeu durante Effluxus acrimonia, Impetiginem quandam procreat, quæ fuſiùs in

Præ-

Præputium quàm Glandem expanditur, quæque formam *Cancri* quæ ſe ferens, à Gallis Noſtratibuſque *Chancre* vocitatur.

Hæc *Carcinomata*, ſive in Glandem ſint ſive Præputium porrecta, tantam plerumque craſſitudinem inducunt, ut vel Præputium, quaſi quibuſdam Burſellæ Adſtrigmentis contractum, tam immobili complexu totam Glandem comprehenderit, ut Hæc vix, & ne vix quidem, liberari poſſit; vel ſecus in Cervice conſiſtens tam tenaciter adhæreſcit, ut ad Glandem obducendam protrahi non queat. Hæc Affectio à Græcis hominibus *Periphimoſis*, Prior illa *Phimoſis* nuncupatur: hæc autem Vocabula, cum aptiſſima ſint, a Medicis, quotquot hoc de Argumento ſcripſerunt, tum *Latinis*, tum *Rrecentibus* retinentur.

Quinimò tenues Veſiculæ, limpido atque translucido latice repletæ, in *Præputio* nonnunquam reperiuntur, quæ a Similitudine, quam ad Cryſtallum propter ſuam pellucidam Subſtantiam habent, *Cryſtallinorum* nomen attigerunt.

Similiter etiam in Mulieribus acris humor, è Vagina effluit, ſphinctera iſtius aliaſque, quas tranſgreditur, partes laceſſit, atque inflammationem, graves æſtus, acutos in reddenda Urina dolores, atque incruſtata Ulcuſcula inducit. Cum autem Fœmineum Genus morbo quodam, cui nomen eſt *Fluor Albus*, ſæpe afficiatur, qui & materia & colore & acrimonia, qua Urina afficitur, *Gonorrhææ* ſit perſimilis, itaque non ſolum magna Utilitas eſt; ſed ſumma quoque

Medicis difficultas ambiguos hoſce Morbos diſtinguendi, præſertim cum genera eorum curationiſque rationes inter ſe fortaſſis plurimum ſunt ſejunctæ. Hanc verò Rem, quæ adeò adhuc difficilis fuit ad judicandum, ut experientiæ aciem crebrò fugerit, a me in ſequenti *Tractatu* explicari poſſe confido.

Quanquàm hæc noſtra *Gonorrhœæ* deſcriptio ità perſpicua & preſſa ſit, ut nulla, quæ *Veneream Luem* conſequuntur, Symptomata complectatur, tamen pro certo habemus præceptiones Medicorum circa Eam confuſas fuiſſe & valdè perturbatas. Ex Iis enim (a) Primi ne in minimam quidem *Gonorrhœæ* mentionem per quadraginta annos inciderunt: Alii (b) tam dubie atque hæſitanter locuti ſunt, ut Eos aliam ullam *Gonorrhœæ* notitiam habuiſſe, quam quod ab Iis Signum *Venereæ Luis* & quaſi Satelles putaretur, pro comperto dicere vix poſſumus; Cæteri verò *Gonorrhœam* eſſe quandam Morbi Gallici Pediſequam potius quam Præcurſorem autumabant, Originemque ejus duci à Semine, quod ex Receptaculis ſuis, cum primum depravetur, abundanti flumine erumpit.

Adeo ut ſi quid ab his Authoribus aut feliciter animadverſum, aut fideliter traditum fuit, tum profectò *Veneream Luem* alio in Antiquis, atque

(a) *Sebaſt. Aquilanus; Nic. Leovicenus. Nic. Maſſa. Natal. Montesaurus. Anton. Scanarolus. Jac. Cataneus. Joan. Benedictus. Hieronym. Fracaſtorius* &c. *ad Ant. Muſam Braſavolam.*

(b) *Gabr. Fallopius.* Cap. 86. & cap. 100.

(c) *Anton. Muſa. Bernard. Tomitanus. Proſp. Borgarutius. Alex. Trajan. Petronius. J. Fernelius. Leonard. Betallus. Guil. Rondeletius* & alii.

atque alio in noſtris Temporibus modo propagatam haud injuria arbitrari poſſimus.

Cum verò hæ Tenebræ 40 tantum Annorum ſpatio incumbuerunt, cumque ab eo uſque tempore repetentes utrumque Morbum ex certis definitiſque & inter ſe diverſis rationibus procedere, *Gonorrhœam* ſcilicet (ut ſupra annuimus) ab impuro Coitu, *Luem* autem *Veneream* vel ex ipſa *Gonorrhœa*, vel ex *Carcinomate* imperite tractato, naſci deprehendimus, Quis equidem aliam tantæ in judicando incertitudinis, tantæ in ſignificando obſcuritatis inter Medicos cauſam eſſe putet; niſi incredibilem quandam difficultatem percipiendi Naturam, aut ſaltem exponendi indicia Peſtis tam gravis & inauditæ?

Neque ædepol (ut verè dicam) hæc Caligo prorſus etiam in præſenti evanuit, verum Scriptorum jamjam memoratorum Auctoritas plurimum quoque ponderis in noſtri Seculi Medicos hodie habet; quod in ſequentis Diſſertationis filo evidentius eluceſcet.

Ab Iis, quæ jam dicta ſunt, manifeſto conſequimur, quod *Virulentæ Gonorrhœæ* Materies vel eſt (uti ex Veteribus, quotquot hunc Morbum perſtrinxerunt; atque ex Recentioribus complures jam conſentiunt) Corruptio Seminis: vel PusAnieſque quædam in loco, ad quem Contagii cauſa perferri poteſt; generata: vel Liquorum quorundam, qui a Natura comparantur, debitiſque in locis ſecernuntur, depravatio; vel *Carcinomatis* demum cum hac depravatione conjunctio.

Sed ut quæ ſit materia *Gonorrhææ*, & qui Loci *Carcinomata* facilius ſuſcipiant atque alant, & quo modo ab una parte ad aliam Contages feratur, felicius indagemus, operæ pretium erit, Partes iſtas, ubi figere ſe poſſit hic Morbus, leviter perſtringere. Veriſimillimum enim eſt haſce omnes difficultates, ſi Partium texturam & uſum atque aditus prius perſpectos habeamus, a Nobis poſtea facilius expediri. Si enim Partes, in quibus hic Morbus vulgò collocatur, Alimenti ſatis ſuppeditare non poſſint; illæ autem, quæ poſſunt, præ nimia diſtantia affici a Contage (præſertim quando Infans ſit) non queant, tum profecto hujuſmodi Effluxus materiam ab Iis (utcunque aptæ aliter videantur) nequaquam ſuppleri, ſed novas ultrà ſedes tentari oportere, quæ & propter Copiam ſuam paſcere, & propter Vicinitatem ſuſcipere Luem poſſent, neceſſe eſt ut concludamus. Quapropter jam mihi proponenda Ratio videtur illas, in quibus *Gonorrhæa* inſidet, Partes cum omni Modeſtia depingendi.

CAP. II.

Partes Corporis, in quibus Gonorrhœæ *Sedes vulgò conſtituitur.*

VAriæ *Medicorum* Hypotheſes, in ſuperiori *Capite* propoſitæ, de iis Partibus Corporis excutiendis, quæ in materiam *Gonorrhææ* ullo modo influunt, præcipue Nos admonere videntur; Eaque verò ſunt, vel quæ ſecretioni Se-

Seminis, vel quæ cuſtodiæ, vel quæ emiſſioni inſerviunt. Quando autem hujuſmodi *Diſquiſitio* ad rem ſanè neminis eſſe poſſit, qui externam partium, quæ in utroque Sexu Generationi dicantur, formam conſpectam non habuit, itaque Ego interioris Structuræ involucris pleniorem calamum dare inſtituo, tum quia minus in promptu ſunt, tum quia magnam lucem afferent iis, quæ in decurſu hujus Operis dicturi ſumus.

Atque equidem Nobis ſeſe exhibet imprimis *Vagina* Fœminarum pauló accuratius delineanda, quippe quæ majores fortaſſe partes in proceſſu *Gonorrhææ* obtinet, quam quæ ponuntur in vulgari opinione. *Vagina* veró, in omni Muliere Viro tempeſtiva, a Natura ita comparatur, ut ſatis patens ſit admittere Penem Maris & Fœtum excludere, utcunque anguſtum ſit ipſius Uteri Orificium. Interna ejus Subſtantia nervoſa eſt, Exteriorem veró laxa Membrana carnoſis quibuſdam Fibris interſperſa conſtituit.

Plurimi equidem atque exigui canales in Vagina reperiuntur, ex quibus ampliores & frequentiores circa partes ejus inferiores (ubi *Urethra* ſeſe inſerit) verſantur. Hi profectó rivuli viſcidam quandam Seri copiam ſuppeditant, a qua Partes ſimul lubricæ fiunt, & ab Urinæ acrimonia defenduntur. Hic liquor inter coitum foras abunde profilit, & pro Semine muliebri, haud prudenter ſatis, apud *Veteres* habebatur.

Excretorii parvarum Glandularum ductus in-

inter *Urethræ* Sphinctera & interiorem Vaginæ Membranam poſiti cæteris ductibus, qui eandem quoque Nominis rationem habent, Priores ſe Medicis prodiderunt, & ab iis *Lacunæ* nominantur.

Sphincter quidam Muſculus Vaginæ ſuppetit, qui, ſitum ſuum *Clitoride* paulo inferiorem tenens, in Dilatatione iſtius contrahenda occupatur.

Hactenus de Subſtantia, & Structura, & Uſu *Vaginæ*, hæc enim Deſcriptio præſenti Inſtituto ſatisfacere videtur, atque ſola *Labiorum*, *Nympharum* & *Clitoridis* nomina Lectorem deducunt in eorum, quæ de his rebus cognoſci volumus, Cognitionem: Inverecundi enim eſſet, diutius in hoc loco, quam neceſſitas poſtulat, hærere.

Illud ſolummodo obiter notatum vellem, uſum omnem dilatantium Inſtrumentorum, quæ verſantur in *Obſtetricum* exercitatione, Sphincteri tantum Vaginæ Muſculo adhiberi: *Uterum* enim hæc dilatare nequaquam poſſunt, *Vaginæ* verò non opus eſt tali dilatatione. Cum verè horum Inſtrumentorum uſus non modò nullam commoditatem, ſed & ingens aliquando periculum afferat, cumque ii, qui illis utantur, aut ſe decipiant aut aliis vellent verba dare, idcircò plura de iis addere in præſenti deſinam; præſertim quoque, quia Artificum Officinæ ſatis multa ſuppeditare nobis poſſent, ſi vera aliqua utilitas ab Experientia unquam deprehenſa fuiſſet.

Deinceps verò ad partes Virorum genitales, quæ

quæ a *Gonorrhœa* vel maxime vexari putantur, depingendas progredior. Quoniam autem hujus Morbi Virus a Proſtatis & Vaſculis ſeminalibus in Urethram profluere plurimi Homines ſuſpicentur, itaque, quæ in iſtis potiſſimum Partibus diſſecandis notatu digna ſunt, pauló luculentius perſtringemus.

Ipſius veró *Penis* partes, quæ viribus hujus Morbi præcipuè affliguntur, ſunt *Præputium*, *Frænum*, *Glans* & *Urethra*.

Duplicata *Penis* cuticula Præputium conficit, quod itá a ſui ipſius fabrica & *Fræni* vinculo comparatur, ut ſumma cum facilitate retró citroque ſuper Glandem moveatur: omnis autem ejus uſus in eo ponitur, quod exquiſitum *Glandis* ſenſum obductione ſua faveat, ne Injuriis incurrentibus laceretur.

Frænum veró nihil aliud eſt præter exteriorem *Glandis* Membranam, quæ in hoc loco geminatur, quæque cavernam quandam continet, ubi hoc Ligamentum extenditur.

Glans eſt ipſa extremitas Penis & ſenſu acerrimo inſtruitur. Radix ei craſſior eſt quam pars Penis, cui inſeritur, ſenſim veró decreſcens pauló acutior terminatur. Membranæ, ex quibus conflatur, tenues admodum ſunt & delicatæ propter perceptionem, quam ei Natura donare voluit, exquiſitiſſimam. Accedunt quoque Glandulæ, a quibus ſeparatus humor circa ſpargitur, ut *Præputium* benè lubricatum ſuo in motu non laboret: quædam quoque hujuſmodi liquoris copia ab iis, quæ ad cuſpidem Penis locantur, dicunturque *Odoriferæ*, Glandulis ſecernitur.

De

De admirabili interna *Penis* Fabrica, fungoſorumque, ex quibus conficitur, Corporum conſtructione pluribus verbis diſputarem, niſi inſtituta brevitas obſtreperet; utpote quod hæ Partes, quales quales ſunt, ad alendam *Gonorrhœam* minus concurrere, quam aliæ nonnullæ videntur, quæ paulò igitur accuratius ſunt examinandæ.

Jam verò ad *Fiſtulam* devenimus, per quam ſemen pariter atque urina decurrit, perque quam *Gonorrhœæ* Contagium ſine dubio propagatur.

Urethra ſubter Nerveo-ſpongioſa *Penis* corpora collocatur, vel in medio (ut exquiſitius dicam) eorum ſe paulò inſinuare videtur; duabus Membranis inſtruitur gracilibus, ſtrictimque contextis: earum Exterior externam *Urethræ*, & *Præputii* internam partem contegit; Interior verò canalem intus tantum componit. His Membranis ſpatium quoddam interjicitur, fugoſa Subſtantia Glanduliſque repletum: fungoſa verò illa Subſtantia naturam ipſius corporibus Nerveo-ſpongioſis ſimillimam præ ſe fert, atque, Aere inflato, ſtatim diſtenditur. *Urethra* quidem, quo propius gradatim ad Glandem provehitur, eò etiam denſior & compreſſior reperitur, & magis magiſque creſcens cum eodem mox confunditur.

Plurimi prætereà canales ſe mittunt in *Urethram*, ex quibus unus ſub *Glandis* radicem ſitus inter cæteros maximè eminet. Hic autem in illa *Urethræ* regione emicat, quæ ad Nerveo-ſpongioſa Corpora porrigitur; & digito

com-

compreſſus album viſcidumque Humorem præbet.

Alii quoque Ductus a M. *Litteri* Glandula originem ducentes interiorem *Urethræ* membranam permeant, liquoremque in *Urethram* inferunt, qui ab iſta Glandula ſecernitur. Hic liquor mucore quodam oleoſo perfunditur, atque idcircò eſt ad *Urethram* inungendam commodiſſimus.

A Cl. *Covvperi* Glandulis (quarum Tubuli excretorii confeſtim coeuntes per fungoſam *Urethræ* ſubſtantiam communi Alveo feruntur, perque interiorem ejus membranam tandem penetrant) liquor ejuſdem quoque generis *cum Priori* & lenitudinis exprimitur.

Hoc enim pro comperto habemus, nullum Humorem, dum *Penis* libidine attollitur, ex eorum ductibus emitti poſſe: quocirca nullo modo ad Generationem promovendam, ſed ad *Urethram* tantum irrigandam, ne ſeminis & urinæ acrimonia vexetur, hic liquor comparatur.

Jam verò ad *Proſtatas*, *Carunculas*, & *Galli Caput*, *Veſiculaſque Seminales* delineandas Nos inſtituti ratio vocat.

Earum verò proximæ ex membranea quadam Subſtantia confectæ ad *Veſicæ* initium inter *Veſicam* & *Rectum Inteſtinum* collocantur, & ad Cervicem ejus Parteſque juxtà poſitas firmiter adſtringuntur: Horum autem Tubulorum cavitates aliæ aliis ampliores patent, ex quo fit, ut nonnullæ quaſi cellulæ ſparſim naſcantur, quæ tantam inter ſe communionem habent, ut, una

una diſtenta, cæteræ pariter turgeſcant. Hæ *Veſiculæ* in parvo ductu, qui à tergo *Urethræ* uno ferè pollice infra *Urethræ* cervicem inſigitur, undique terminantur. Cuilibet horum ductuum orificio Septum quoddam ſuppetit, quod prohibet, quo minus Semen, cum ex uno exprimatur, reſiliens ſubinde in cæteros impingeretur. Hæc Particula *Caput Galli* appellatur; perque Oculos ejus (Oſcula ſcilicet prædicta) ſemen utique in *Urethram* diſtillatur, in ſingulo Veſicularum Seminalium officio parva quædam Caruncula ſtationem obtinet; quæ, Valvularum ritu, ſemen præoccupat, ne continuo flumine proſiliat. Etſi verò hæ Carunculæ ab iiſdem, quibus ſemen expellitur, Viribus propulſentur, in naturalem tamen ſitum confeſtim reſiliunt.

Apud radicem *Urethræ*, ex utroque cervicis Veſicalis latere duo globoſa Corpuſcula apparent, quæ *Proſtatæ* nuncupantur, quarum pars ſuperior complanatur, Inferior verò ad Ovi ſpeciem inclinat. Moles utriuſque (non enim longe a ſe invicem ſunt ſejunctæ) quaſi grandiuſculi *Juglandis* inſtar in Salacibus videtur, in Senibus autem, iiſque, qui *Veneri* ſe minus adſtrinxerunt, parvuli cujuſdam *Juglandis* rationem obtinet. Subſtantia iis glanduloſa eſt: ex earum Ductibus, de quorum numero haud ſatis convenit, albus liquor ſeminis ſimillimus emanat, qui, *Proſtatis* manu conſtrictis, illico prorumpit. Hi tubuli excretorii *Proſtatarum*, partim paulo altius, partim paulo inferius quàm *Galli Caput*, plerumque autem aliquanto tranſ-

ver-

verſus quàm Vaſculorum Seminalium orificia, ſe conjiciunt in *Urethram*.

De Graaf decem ductibus hujus generis excretoriis minus nunquàm ſe in *Viro* numeraſſe, in *Cane* autem nonaginta amplius a ſe repertos, quorum ſingulis officiis ſua Caruncula annectitur, ſignificat.

D. Littre non duas Glandulas, ſed unam tantum a *Proſtatis* fieri contendit, quoniam Subſtantia illa (ut in menſe *Julio* anni millefimi ſeptingenteſimi ab eo coram Regia Academia demonſtratum fuit) continua eſt & non interrupta. Sibi præterea ille perſuadet, exigui quaſi Cordis figuram confici, cujus Baſis Veſicam verſus porrigitur.

Proſtata, ſi huic Viro credamus, Fibris muſcularibus circumveſtitur, atque ex duodecim Capſulis, quarum Clauſtra nullum inter ſe commercium habent, conſtituitur, tot etiam Tubulos (ſetarum inſtar) continentibus, qui in *Urethræ* canali juxta *Verumontanum* terminantur: unaquæque inſuper Capſula ingentem exiguarum Glandularum numerum complectitur, quibus canales excretorii (quorum cuilibet extremitati *Sphincter* ſuppetit) ſe in cavitatem Capſularum exonerant, ubi Humor, tanquam in tot pelvibus & receptaculis, ſeponitur.

Quomodocunque autem numerus ſeſe habeat, ſive duæ ſint Glandulæ, ſive unica tantum in hoc loco ſita ſit, D. *Littre* aliis omnibus Anatomicis de uſu earum prorſus aſſentitur. Cum igitur *Proſtatarum* liquor, ductuſque excretorii, Valvulæque apud omnes in confeſſo ſint, apte-

que ad Inſtitutum noſtrum poſſint accomodari, itaque hanc explicationem haud mediocrem ſequenti Ratiocinio lucem afferre poſthac ſentiemus.

Quemadmodum autem accurata hæc deſcriptio locorum, quæ aut ſecernere aut recondere liquorem videntur, ea tantum intentione ponebatur, ut felicius *Gonorrhææ* materiam deprehenderemus, quam nonnulli ex ſolo pure conflati arbitrantur, idcirco carnoſas muſculoſaſque partes, necnon *Adipem* deſcribendi neceſſitas mihi datur, ut videamus, utrum vis *Gonorrhææ* hæc loca vitiare valeat & in Pus convertere, quoniam in carneis partibus & adipalibus Pus precipue generari reperitur.

Facilitas, qua Muſculi *Penis* a ſe invicem ſeparantur, plurimas de eorum numero lites excitavit: Ego autem, unde oriantur atque ubi inſerantur, quam qua ratione numerentur, diligentius inſpiciam, exinde enim commodius intelligetur, quemadmodum ii affici queant à materia *Gonorrææ*. Tria paria Muſculorum ſecundum nonnullos homines ad penem ſpectant; Alii eos negligentes, qui *Tranſverſales* nominantur, duo tantum Paria aſſignavere. D. verò *Littre* quinque tantummodo ſolitarios Muſculos adſcribit. Veruntamen quando hi Muſculi univerſi ſuam aut ab *Iſchio* aut *Ano* originem & in *Corporibus cavernoſis* finem habeant, aut in *Urethra* ſub unam Penis partem circaque ejus latus terminentur, itaque *Gonorrhææ* viribus perpaululum ſubjici videntur.

Sigillatim verò D. *Littre* notat, Fibras quaſ-

dam

dam muſculares in nonnullis exemplis ex ~ngula Muſculi *Acceleratorii* Antica extendi, & in *Præputio*, poſtquam totum *Penis* latus peregraverint, tandem conſiſtere: quamobrem quandocunque hæ Fibræ contrahantur, (uti inter Coitum, & M.ngendum accidit) *Præputium* ad radicem Penis revocatur.

Hac Partium deſcriptione prælibata, unde origo *Gonorrhœæ* trahenda ſit, quæ Partium proprietates, ubi figitur hic Morbus, quæque ſit Efficiens ejus cauſa, jam videamus.

CAP. III.

Proſtatæ, Veſiculæque Seminales, Parteſque ſupra poſitæ pro Originali ſede Gonorrhœæ *haberi non debent.*

DEſcriptiones Anatomicæ, quas in ſuperiori *Capite* attulimus, in eam ædepol opinionem primo intuitu nobis animum inducunt, ut putaremus vel *Proſtatas* vel *Veſiculas Seminales* ad liquorem (qui gliſcente *Gonorrhœa* effluit) miniſtrandum præ cæteris commodiſſimas eſſe, ideoque pro ſede Morbi haberi oportere; niſi multæ difficultates, quæ ſuperari nunquam poſſunt, ſeſe offerrent, atque originem Contagii ab iſtis partibus omnino amoverent.

Quippe cum apud omnes pro confeſſo habeatur, hunc Morbum à venenato quodam liquore, qui ad Ægrum vi quadam extrinſeca propagatur, proficiſci, tum profectò explicari nunquam poteſt, quibus modis ad locos ab

Ure-

Urethræ extremitate tam procul disjunctos hic liquor perducatur: utpote quod liquor, quem admittere *Urethra* queat (ſive Molem ſeu Velocitatem reſpicias) valde modicus eſſe debet: neque enim Muſculus aliquis, nec Valva, nec alia cujuſcumque generis Machina adeſt, qua ad tantam diſtantiam projiceretur. Adde quod cum magnitudo partium, ex quibus Contagium conflatur, æque ac Velocitas, qua fertur, plane exigua ſit, neceſſe eſt, ut *Momentum* earum (quod jamjam annuimus) pro nihilo fere ducatur. Quod ſi *Momentum* multo, quam revera eſt, vehementius augeri ponamus, Rei tamen difficultas non minor ſupereſſet, præſertim ſi *Canalem*, per quem tranſeundum eſt, arctiorem, quam ſolet, fieri meminerimus. Quoniam enim *Penis* ab erectione ſua induratur, atque membraneum *Urethræ* foramen (quod Nerveo-ſpongioſis, quæ jam quoque inflantur, Corporibus ſeſe immiſcet) magnopere compreſſum in conditionem utique anguſtiorem redigitur, idcirco ab omni fere commeatu Virus intercludi merito videatur.

Hæ profecto anguſtiæ, quibus premitur *Urethra*, quando ſemen *Pene* erecto expellitur, ſenſibus ſe manifeſtius reddunt.

Præterea, ab accedente Nerveo-ſpongioſæ ſubſtantiæ inflatione *Urethra* magis magiſque coarctatur, ex quo fit, quod Latera ejus undequaque collidantur, atque interiores hujus *Fiſtulæ Membraneæ* Canales adeò gravem conſtrictionem patiantur, ut nullius generis liquor a minori impetu propulſus, quam qui ſemen aut uri-

urinam extrudit, queat permeare. Qua ratione igitur liquorem, qui nullum aut planè exiguum Momentum habet, in Urethram, vehementer intereà atque ex omni parte compreſſam, immitti poſſe judicemus?

Quod ſi hoc Virus ad *Proſtatas* uſque pervehi, ibique ſuas vires (ut nonnulli credunt, non obſtantibus difficultatibus ſuprà allatis) exercere ſtatuamus, tum profecto his viribus, quas hi homines volunt, conceſſis, aliæ quoque neceſſe eſt, quam quas ii tribuunt, multoque graviores, facultates itidem exerceantur. Quippe ſi D. *Blenius* ſibi conſtet, tum equidem (uti infra docebimus) Carunculæ, quæ Vaſculorum ſeminalium orificiis annectuntur, ab hac Peſte prius frangentur, quam ſemen corrumpi aut profluvium excitari poterit. Quod ad *Proſtatas* attinet, ductus, qui ab iis propagantur, adeò tenues atque exigui ſunt, ut cerni aut numerarij vix queant. Itaque *Proſtatis* opus eſt externo quodam auxilio atque impetu, qui humorem foras exprimeret. Cum autem a liquore venenato vim talem exeri nullam intelligimus, manifeſto efficitur *Gonorrhæam* a *Proſtatis* exoriri non poſſe, utcunque illarum liquor depravetur. Quinimò ſi hic Effluxus purulentus, non ſine *Caruncularum*, quæ ad Vaſcula Spermatica alligantur, *Ductuumque Proſtatarum* corruſione confici concedatur, tum profecto Medelam *Gonorrhææ* nunquam aſſequi poterimus, quia iſtiuſmodi damnum reſarciri nunquam poſſet. Cum autem è contra quotidianus ipſe uſus Remedia ad hunc Morbum

B cum

cum bono eventu perſæpe adhiberi teſtetur, itaque talem corroſionem nullam fieri, neque *Gonorrhæam* ex iſtis fontibus profluere, tuto colligamus.

Quocirca ſi hujus morbi Virus ad *Proſtatas* uſque & *Veſiculas ſeminales* pervehi ſup ponatur, vim tamen ab his hominibus ad ſcriptam exercere nunquam poterit.

Nonnulli ædepol, qui *Proſtatas* & *Vaſcula Spermatica* corrodi non putant, in eam opinionem inciderunt, ut Effluxum (qualis in *Gonorrhæa* cernitur) ab Effervefcentia quadam & phantaſtica Fermentatione (quæ fit per mixturam humoris venenati cum ſemine & liquore *Proſtatarum*) intumeſcere & explicari poſſe arbitrarentur. Cum autem hæc Hypotheſis cum deſcriptionibus Anatomicis, in ſuperiori *Capite* allatis, vehementer pugnet, itaque hujuſmodi Effervefcentiam rem fictam eſſe & prorſus adumbratam, neque *Gonorrhæam* exinde proficiſci, certo intelligimus.

Quæ cum ita ſint, concludere licet, *Gonorrhææ* Virus ad *Proſtatas* & *Vaſcula Seminalia* nequaquam pertinere, propterea quod contagioſus ille liquor neque tantam velocitatem habet, ut illuc ſurſum feratur, neque effecta ejus reſpondent viribus, quæ in hiſce locis exerceri ſupponuntur.

Argumenta, quæ jam Ego ſum laturus, a *Poſteriori* confirmant ea, quæ ſupra cumulavimus. (a) Cum verò in eorum mentionem aliquot abhinc annis incidi, eadem renovare, uti ſe in iſto *Libro* ex-

(a) Sea Diſſeaſes pag. 237.

exhibent, atque in memoriam revocare liceat.

Primum igitur Argumentum ab iſtis Excreſcentiis depromitur, quæ in proceſſu *Gonorrhææ* ab experientia ſunt perſæpè deprehenſæ. Cum enim hujuſmodi Tubercula prævium ſemper Ulcus conſequantur, palam efficitur, ubicunque Caro tumida & quaſi incruſtata ſive aliud quodvis Ulcuſculi veſtigium relinquitur, Ulcus ibi prius inſediſſe; hujuſmodi verò Excreſcentiæ in *Urethra* reperiuntur, *Urethram* igitur acrimonia quoque Ulcerum corrodi non eſt ut dubitemus.

Quod de hac re a Nobis dictum fuit, illud ad quotidianum uſum adeò conſtanti ratione conformatur, ut factum ipſum Adverſarii negare non poſſint, tametſi concluſionem, quam nos deducimus, infirmare contendant. Enimverò acidus Humor, ſi quoque à *Proſtatis* effundi concedatur, nihilo ſegnius (ajunt) hujuſmodi Ulcera atque Excreſcentias eſſet excitaturus, quam ſi in earum vicinitate ſecernatur; Experimentum itaque ab Urethræ Ulceribus aſſumptum nequaquam impedit, quo minus hujus Morbi Acrimonia a *Proſtatis* profflueret.

Sed ut hujuſce Experimenti vim ingentem ulterius videamus, id maximè obſervari debet, Iſtiuſmodi Excreſcentias juxta noſtram *Gonorrhææ* ſedem (*Urethram* ſcilicet) ſemper verſari, vix unquam e contrario in vicinia *Proſtatarum*.

Quod ſi forte earum una aut altera prope *Proſtatas* deprehendatur, in cauſa eſt, quod magna *Tabi* copia ibidem conglomerata, cum facilis decurſus non detur, retro ſe convertit,

aut à male adhibito Injectionum impetu retro pellitur. Hæc itaque, quæ de Excreſcentiis a nobis dicta ſunt, concluſionem noſtram confirmant, & cum ſequentibus Experimentis conjuncta indubitatam veritatem aſſequuntur.

Proximum Experimentum à communi Injectionum uſu ſumetur: Ex eo enim quod Injectiones *Gonorrhœam* perſæpè comprimant, palam efficitur, liquorem earum ad partem ægram penetrare. Illud autem fieri nunquam, poteſt, ſi *Proſtatas*, ſeu loca ſuperius poſita, pro ſede morbi capiamus. Illud equidem etiam, atque etiam in memoriam revocari debet, quod ab Anatomia noſtra ſuper ingenti *Urethræ* curvatura admonemur: hanc quippe ſi perpendamus, quæ uſque ab ea parte, qua primò *Urethra* jungitur *Veſicæ Collo*, donec ad ipſum *Penem* deventum ſit, continuatur; tum quidem apparebit, quam durum erit facere, ut alicujus Injectionis Liquor ita immitteretur, ut ad *Proſtatas* aut *Veſiculas Seminales* perveniat. *Urethræ* Radix in Pelvi eſt ſita, in parte poſteriori Abdominis, atque ſub Os pubis ſeſe inſinuat, ut cum Pene tandem conjungatur. Cum itaque *Urethra* ab ulteriori Pelvis regione originem ſuam ducat, certe ſine maxima curvatura cum *Pene* conjungi nequit. Ex hoc igitur *Urethræ* Curſu manifeſto intelligimus, nullam Injectionem ad *Proſtatas* deduci poſſe; niſi quæ ab arte ſingulari dirigitur. At profecto quicunque Syringis Uſum exercet, idem poteſt Liquorem injectare, qui *Gonorrhœam* eſt ſuppreſ-

preſſurus. Quocirca cum Effluxum ab Injectione, quæ ultra *Penem* ſpargi nequit, ſupprimi videamus, pro certo eſt non modo omnes Injectionis vires, quæ Morbum tollit, ſed & Morbum ipſum, qui tollitur, intra *Penem* ſolum claudi & contineri. Quod contra vulgarem opinionem fuit demonſtrandum.

Quod ſi præterea recordemur ſingulo *Proſtatarum* Tubulo ſuam carunculam ſive valvulam appendi, quæ inter Liquorem injectatum, atque Proſtatarum Humorem commeatum omnem intercludit, tum novæ ædepol vires accreſcent huic Argumento, atque evidentior veritas eluceſcet.

Aliud experimentum jam affero, quod non tantum facillimum eſt tentatu, ſed & præſentem difficultatem quam commode abſolvit.

Siquis enim medium *Penem* manu capiat, Urethramque continua compreſſione *Glandem* verſus arcte conſtringat, purulentus Liquor protinus exprimitur: ſi deinde autem eadem Conſtrictio a *Pube* uſque incipiens ad *Glandem* iteretur, nullus omnino Humor poſt primam compreſſionem extrudi cernitur. Ex quo apparet Saniem, quæ per primam conſtrictionem exploditur, nequaquam antrorſum urgeri à vi Liquoris alicujus ab ipſis *Proſtatis* propagati ad locum, ubi primum compreſſio inceperit. Si enim hoc virus a *Proſtatis* fundi ſupponatur, tum profecto totus *Urethræ* Canalis a Radice uſque ad Glandem hoc fœdo Liquore compleretur; Quod huic Experimento adverſatur.

Quocirca neque ex *Proſtatis* nec Earum Vi-

cinitate *Gonorrhœæ* fontem provenire, nec Sedem poni merito cenſeamus.

Huic autem Experimento a nonnullis opponitur, quod quando Effluxus non minus ex *Pene* erecto quam flaccido profluat, verum in flaccido ſuo ſitu per declivem quaſi Alveum decurrat, ob declinationem iſtam fortaſſe pollutum Humorem exprimere, uti ab Experimento indicatur, poſſemus: ſin autem Profluvii originem ſpectemus, non eſt ut idcirco eam à *Proſtatis* deduci denegemus.

Cum vero nihil ad rem interſit, quali ſitu *Penis* utatur, itaque ſitum ſibi commodiſſimum ab Adverſariis deligendum relinquimus.

Enimverò ſi Liquorem in Alveo non tantum inclinato, verum etiam ad rectam (ſi ita velint) Lineam erecto profluentem ſtatuamus, tum Liquor ille curſu forſan paulo celeriori per declivia ſua feratur, neceſſe tamen eſt Flumen a Fonte indeſinenter profundi, & per totam Canalis ſeriem uſque ad exitum continuari, quoniam Undæ proſilentes ab Undis ſupervenientibus jugiter urgentur, donec ad ipſam retro Originem perveniamus.

Quando igitur Res ab Experimento facta in dubium vocari non poteſt, Concluſio quoque a Nobis illata, (nullum ſc: Liquorem ad partem *Penis* manu imprimis conſtrictam a *Proſtatis* propagari) ſeſe Veritati reddit conſentaneam; ex quibus omnibus confici videtur, hujus Morbi fontem à *Proſtatis* nequaquam proficiſci.

Illud equidem fateri non dubitamus, Guttas non-

nonnullas in omnibus his Canalibus, crebro longoque intervallo, poſtquam magnum flumen diſceſſit, ſtillantes obſervari. Cum verò iſtiuſmodi Guttæ Tubulorum ſcabredini, quæ particulas Liquoris langueſcente Fluoris impetu irretire ſolet, potiſsimum debeantur, itaque ad rem in præſenti objectam nihil exinde auxilii comparatur.

Neque quidem abſimiles diſtillationes (uti infra animadvertemus) in diſceſſu *Gonorrhææ* cernuntur. Quæ Obſervatio haud mediocrem Nobis lucem afferet, ut intelligamus, quantum temporis antea requiratur, quam ad optatam medelam hunc morbum perduci expectemus.

Præter ea, quæ dicta ſunt, nova quoque (ſi neceſsitas ita poſtularet) argumenta accerſi poterint ex natura Remediorum, quæ huic Morbo adhiberi ſolent. Si quis enim fauſtum exitum perpendat, qui Diureticorum Praxin conſequitur, aut pericula & calamitates, quæ ab Adſtringentibus Pharmacis & Injectionibus ſæpe procreantur, is nunquam rationem reddere poterit, cur *Gonorrhœa* à Diureticis juvetur, ab Adſtringentibus verò *Venerea Lues* crebro cieatur, ſi hujus Morbi ſedem in *Proſtatis* collocaverit.

De hac autem re ſatis jam dictum eſt, parcimus igitur Argumentis, quæ ex obliquo cumulari poſſent, ne nimium illuſtrando moleſti videamur.

Cum verò per vicinas undique Partes vis Contagii aliquando ſe ſpargat, Proſtatas Veſi-

culaſque Seminales in proceſſu *Gonorrhœæ* vitiari tandem poſſe non vereor confiteri. Haud enim exinde efficitur , harum alterutram eſſe primam hujus Morbi ſedem aut originem , unde Virus diffunditur. Effluxus enim , integris Proſtatis vaſculiſque Seminalibus incorruptis, largus ſæpè cernitur & copioſus, à qua unica Obſervatione (ſi rem probe æſtimemus) manifeſtò intelligimus, primam *Gonorrhœæ* ſedem in iis nequaquam collocari. Quippe ſi ita ſe rés habeat , tum Proſtatæ & Vaſcula ſpermatica prius debent , quam Effluxus extra promanat , contaminari. Probabile profecto eſt, has partes nonnunquam vitiari , quando Ulcera nulla in Urethra cernere ſit. Attamen hoc nunquam accidit , niſi quando Ulcera iſta ab Injectionibus , quæ regiones remotiores tangere non potuerunt , prius eſſent depulſa. Séd perpauca hujus generis exempla proferri poſſe puto : Eruditiſſimuſque D. *Cyprianus* mihi multis Experimentis poſt Theoriæ meæ publicationem factis confirmavit , ſeſe ingentia Vitia atque Defectus in Urethris eorum omnium offendiſſe , quos carnoſitatibus ibidem latitantibus vexatos exploraſſet.

Hóc igitur a Nobis paulo fuſius demonſtrato, quod nec *Proſtatæ* nec *Vaſcula Seminalia*, neque *Regiones* ulterius poſitæ primum hoſpitium *Gonorrhœæ* præbere queant , reliquum eſt, ut quænam ſint , & quantum ponderis afferant, argumenta Adverſariorum , probe perpendamus.

Quoniam autem D. *Blenius* inter Eos omnes

maxime emineat; ſatis erit ea ſola, quæ ille dictitat, recitare, ne infinitos Authores uſque ad faſtidium cumulemus.

(a) „ In promptu eſt (inquit ille) hunc Morbum in Veſica ſitum non eſſe. Eo enim pacto Ulceribus fere inſanabilibus, aut Inflammatione, quæ per totum hujus Morbi proceſſum permaneat, quæque omnem penitus Urinæ egreſſum prohibeat, hæc Pars percelleretur. Multo minus probabile eſt, *Gonorrhœam* in Teſticulis inſidere poſſe: exinde enim acerrimi Dolores & Ardores & Intumeſcentiæ in iis excitarentur.

„ Neque Veritati magis conſonum videtur, ſedem in toto Pene collocari: quippe à fungoſa ſua ſpongioſaque ſubſtantia, ab exquiſita perceptione, necnon ab ipſius Uſus Situſque ratione, hoc Membrum Doloribus & inflammationibus, crebris Humorum affluxibus & ſpaſmis Gangrænisque adeo valde ſubjicitur, ut per omnes ejus partes Contagium ſpargi nunquam poterit, niſi hæc omnia ſimul Symptomata, aut ſaltem pleraque ſequerentur.

Poſtea verò quam paucas Lineolas, quæ Soritem intercipiunt, adjeciſſet, hanc demum Concluſionem deducit.

„ Hinc igitur (ait ille) ſatis intelligimus, Veſiculas illas, ad quarum cuſtodiam ſemen traditur, eſſe certam ſedem *Gonorrhææ*. Has enim a Venerea ſanie vehementer affici atque mutari ipſa Injuria, quæ ſequitur, mani-

(a) Cap. 6. Part. 2. p. 171.

„ nifeſtat. Humor enim iſte, qui ad irrigandam „ Urethram comparatur, ſtatim cohibetur: & „ ſi Regionem, ubi hæc Vaſcula ſuum ſitum „ obtinent, manu conſtringas, Effluxus ocu- „ lis copioſior ſubjicitur.

„ In dubium igitur vocari non poteſt, quin „ *GonorrhϾ* Virus Paraſtatas Proſtataſque præ „ cæteris adoriatur & convellat: hoc autem for- „ te accidit, quoniam hæ Partes, cum in Poros „ maxime excaventur, Contagi facilius hoſpi- „ tium, quam aliæ, quæ circumjacent, poſſent „ exhibere. Quid verò de Mulieribus ſtatuen- „ dum eſt, quæ Utriſque ſunt deſtitutæ?

Contagioſum Liquorem eadem ratione, quæ in Viris valuit, in Fœminis propagari non concedit, neque a Teſticulis Mulierum emanare, propter nimiam loci diſtantiam, permittit.

„ Neceſſe eſt, ut per Uterum Peſtis prius „ tranſeat, qui ob humiditatem ejus & craſſi- „ tudinem retinere eam non poteſt.

Vaginam inſuper excludit:

„ Quippe ſi hæc Contages cum Liquore craſ- „ ſo, qui ſcatit in Vagina, ſeſe forſan com- „ miſceret, tum Vires ejus extinctæ cito eſſent, „ aut ſaltem impeditæ, aut ſimul cum innatis „ iſtius loci ſordibus expurgatæ.

„ Ex quibus omnibus efficitur, *GonorrhϾ* „ ſedem in Fœminis alibi, quam ad *Uterum*, re- „ ferri non poſſe.

Jam verò conſiſtere aliquanto liceat, atque expendere, quo perducimur a tota ſerie hujus Diſputationis.

Si Partes, præter *Proſtatas*, aliæ aſſignari ne-

nequeunt, quæ Effluxui copiam dare poſſunt, aut quibus hujuſmodi Effluxus periculum magnum aut perniciem non eſt allaturus, tum forte fortuna Origo hujus Morbi ad *Proſtatas* debet revocari. Adeò ut ſi totam Hypotheſin plane concedamus, res tamen veritatem probabili tantum conjectura innixam aſſequeretur. Quod ſi alia corporis regio in præcedenti *Blenii* enumeratione omittatur, tum nulla neceſſitas nobis imponitur ad Proſtatas, tanquam ad ſolum quoddam *Gonorrhœæ* Aſylum, confugiendi. Ad talem verò Regionem ſtatim digitos noſtros quaſi intendemus, atque ibidem demum immorabimur.

Quod ſi præterea haud minus hiſce horrendis inflammationibus, quàm prædictæ Corporis Partes, *Proſtatæ* etiam ipſæ, ſubjiciantur, tum profecto ab iiſdem rationibus, quibus hic Vir utens cæteras amandavit, hæ quoque amandantur. Sin autem ex Partibus, quæ ab Adverſariis noſtris excluduntur, una aut etiam omnes Inflammationibus nonnunquam vexentur, ab iis verò periculis, quæ *horrenda & inſanabilia Blenio* audiunt, prorſus removeantur, tum equidem facultas iis denegari non debet largiendi ſedem *GonorrhϾ*. Rem verò ita ſe habere poſſe idem *Author* diſertis verbis confitetur.

„ Verum tamen eſt (ait) *Gonorrhœam* aliquando
„ do veſicæ Inflammationem, immanem in Te-
„ ſticulos Humorum defluxum, Ulceraque in
„ Urethra quamplurima ſecum trahere.

At verò hæ Partes ab omnibus his cruciati-

bus

bus & capitalibus quaſi pœnis) *ſi iis, quæ ſuperius dicebantur, credendum ſit*) omnino liberantur.

Si quis igitur D. *Blenii* ſagacitatem, quæ *Gonorrhœam* in *Proſtatis* poſuit, laudibus poſthac & plauſu cumulaverit, is perurbani quidem hominis, parum verò prudentis, nomen meretur. Argumentorum enim momenta, quibus ille utitur, non ſatis firma ſunt, ut fidem faciant, aut ullam aſſenſui noſtro neceſſitatem incutiant.

Notatu ædepol digniſſimum eſt, quanta fiducia Veſticuli abſterrentur, quam facili autem & ſoluto animo *Paraſtatæ* ſeu *Epididymides* (quæ adeò arcte iis adhæreſcunt, ut à quibuſdam eorum habeantur partes) pro ſede Morbi adſcribuntur. Illud inſuper attento animo eſt advertendum, *Paraſtatas Proſtataſque* ob ſolam commoditatis rationem (ob poroſitatem nempe ſuam) cæteris partibus a D. *Blenio* præponi, qui quoque Contagis materiam mirabili quodam atque inuſitato modo ad Eas perduci confitetur: Uti autem propter inexplicabilem hunc & ab omnibus Mechaniſmi regulis plane abhorrentem modum, quo Contages perducitur, *Proſtatæ* ablegentur a nobis, quo minus *Gonorrhææ* veneno ſedem & quaſi hoſpitium præbeant, ita quoque aliam abſurditatem & ipſius Hypotheſeos natura redundantem depelli relinquemus.

„ Quid enim (ait ille) de Mulieribus dicemus? Teſticuli enim iis poroſiſſimi ſunt, eamque ob cauſam ad Virus ſuſcipiendum quam opti-

optime comparati. Hos verò tanquam loco nimium disjunctos rejicit. Quidni igitur ad eandem, qua prius utebatur, admirabilem deductionis rationem, in hac itidem difficultate perfugiat? pari enim jure utraque difficultas ſuffulcitur.

Convenit itaque (ut uno verbo rem conficiam) mihi cum *Blenio*, quod *Proſtatæ* aut *Paraſtatæ* & *Vaſcula Spermatica*, etiamſi modica veneni copia perduci ad iſtas Partes poſſet, *Gonorrhœam* ſatis commode exciperent, niſi nimio loci intervallo eſſent disjunctæ. Quapropter ſecundum ipſius *Blenii* Hypotheſin, hic Morbus ibidem recipi & collocari non poteſt.

Concedo quidem *Proſtatas* non tantam, quantam Teſticuli Fœminarum, loci diſtantiam obtinere; attamen tranſverſi haud minus digiti (ſi immodica ſit) quam totius Ulnæ diſtantia impedimento eſt, quo ſecius Venenum ſuſcipi, & Morbus progigni queat.

Sed ne ulterius D. *Blenium* Lectores ſuos in alias quoque anguſtias, cùm in Utero ponat *Gonorrheam* Fœminarum, adducentem perſequar. Cum Argumenta, quæ ab eo afferuntur, interdum dubia ſint & interdum ſibi repugnantia, cum etiam tota ejus Hypotheſis adeo manca ſit & præfinita, ut utrique Sexui non conveniat, ſedem *Gonorrhœæ* nec in *Vaſculis Seminalibus*, nec in Partibus ulterius poſitis, figi oportere cum omni fiducia concludimus.

CAP.

CAP. IV.

De vera ſede Gonorrhœæ *in utroque Sexu: necnon de Materiæ Quantitatiſque cauſa.*

COmplura ex iiſdem Argumentis, quæ *Proſtatas* vindicant a ſuſpicione Hoſpitii, quod ab iis huic Morbo vulgo creditur præberi nobis quoque animum inducunt, ut Urethram ſolam à *Gonorrhœa* affici judicemus.

Quippe ſi *Gonorrhœa* in *Proſtatis* eſſet generata, annon *Urethra* per totam ſuam ſeriem priùs iſta materia repleatur, quam ex *Pene* Liquor poſſet jugiter profluere? qua, quæſo, ratione Injectio poterit effluxum ſupprimere, cùm ad *Proſtatas* & *vaſcula Spermatica* perveniendi copia non datur? Quando igitur in quibuſdam *Penis* partibus hujus Morbi flumen non reperitur, ab Injectionibus verò cohibetur, reliquum eſt, ut loca, quæ ad extremitatem ejus magis vergunt, vitiari tantum arbitremur.

Creſcit quoque Probabilitas, ſi reputabimus quam facili negotio *Gonorrhœæ* virus in *Urethram*, præſertim verò prope *Glandem*, ſe inſinuare queat. Adeò ut ſi hæc Loca ſatis copiæ ad Effluxum tantum paſcendum poſsint ſuppeditare, non dubium eſt, quin pro ſede hujus Morbi recte ſtatuantur. Mirra porro facilitas, qua Liquor immittere ſe poteſt, perſpicue advertitur, ſi modo ea, quæ de *Glandis* craſsitudine ſupra diximus, in memoriam revocemus.

mus. Ibi enim *Urethram* non diſtinctam & ad finem uſque uniformem ſervari, ſed in *Glandem* aliquando tandem converti; & evaneſcere notavimus. Quemadmodum vero ex ipſius Fabricæ natura *Glans* denſior & compreſſior ſit, atque ægrius, quam Penis ipſe, Inflatione diſtendatur, ita Meatus, qui per Glandem penetrat & in Urethræ locum ſubſtituitur, ipſa Urethra paulo laxior atque apertior dicitur, ex quo fit, ut Particulæ contagioſæ in eum locum ſe facilius, quam in Urethram, inſinuare poſſint, etſi Urethra propius ad extremitatem Penis, quam revera eſt, accedere ſupponatur.

Itaque jam dilucidum efficitur, qua ratione Penis, quando Materia morbifica undique circumdetur, nonnullas Contagii pàrticulas admittit.

Poſtremo cum hic Locus, cui Virus inprimis vim infert, cum Experimentis omnibus quæ ſuprà proponebantur, quam optime conveniat, itaque extra dubium ponitur, Urethram, paulo prius quam in *Glandem* tranſit, eſſe veram ſedem *Gonorrhææ*. Hæc verò res magis magiſque eluceſcet, cum ad Symptomata, quæ hunc Morbum comitantur, quæque conſequuntur, in hujus Diſſertationis filo excutienda veniamus.

Sede igitur *Gonorrhææ* jam comperta deinceps explorare operam dabimus, qua ratione hic novus Fons, cujus Rivuli in abdito adhuc delituerunt, tanta Humoris copia accommodatur, quantam in *Gonorrhææ* curſu emitti deprehendimus. Semen, quod à priſcis plurimiſque

que modernis *Medicis* pro Materia haberi ſolet, nihil poſſe vidimus. Deinceps igitur reputare oportet, utrum *Pus* aliquod cogatur, ubi vis contagioſa communicari poteſt; ſeu Humores ulli in hiſce locis a Natura ſecreti & comparati jam depraventur, & in Materiam *Gonorrhææ* tranſeant, ſicut ante hac conjectura proſpiciebatur: ſi igitur ex his aut unum aut utrumque pro certo comperiatur, neceſſe eſt, ut materia, quæ premente *Gonorrhæa* profluit, exinde repetatur. Illud profecto ab omnibus advertitur, verum Pus in Muſculis muſculoſiſque locis tantum modo glomerari, & quo longius partem aliquam Corporis a Muſculorum conditione diſcedere, eo etiam minus ad Pus faciendum idonea eſſe, præſertim verò ſi nullus ibi Adeps obſervetur; In Membranis enim Materia putrida rarior eſt, quam Pus genuinum, illa verò, quæ in Glandulis coagmentatur, ſive in Capſula quadam, ſeu Cyſtide ſervata ſit, ſive partibus circumjacentibus diffuſa, imperfectam *Puris* rationem obtinet. At verò cum per totam interiorem *Urethræ* partem nihil cernere ſit, quod magis ad Muſculi naturam, quam vaſa ipſa ſanguifera, inclinat, luculentum efficitur, perexiguam Puris copiam in *Urethra* colligi poſſe, adeoque Effluxum Puri in *Urethra* coacto adſcribi non oportere. Res autem clarior erit, ſi quæ de *Penis* Muſculis ante diximus, memoria teneamus. Adde quod eadem quoque Ratio in fœmineo Genere locum habebit. Quippe *Vaginæ Muſculis* ſitum ipſi Vaginæ paralellum ſortitur, tantumque ſtrictio-

ſtrictioni ejus revocationique inſervit, poſtquam vis intus agens atque expandens ceſſaverit. Hic verò *Muſculus* ſufficientem Puris copiam præbere nullo modo poteſt, cum in exteriori ſuperficie, ut prius oſtenſum fuit, inſeratur. Accedit etiam quod præmatura Effluxus ratio cum natura Puris concilianda non eſt. *Gonorrhœa* enim in Bidui Triduive ſpatio emicat; Pus verò (præſertim ſi ingentem, quæ aliquando profunditur, Copiam animo habeamus,) tam brevi tempore generari nequit.

Quin etiam Effluxus non tantum citius multo extra cernitur, quam ſi ab Ulcere prægenito proveniat, ſed etiam nulla prorſus eſt ratio, cur præeuntem ullam Inflammationem Effluxum hujuſmodi concitaturam ſuſpicemur. Si enim Inflammationem aliquam in *Veſicæ collo, Proſtatiſque*, aut in *Urethræ meatu*, accendi ſupponamus, tum profectò frequentiſſimum Urinæ reddendæ deſiderium, acerrimuſque inter mingendum dolor conſequeretur, ſicut uſu cernere eſt in id genus morbis, etſi quando forte hæc loca Cantharidum aculeis pungantur: e contra verò Effluxus, qui ab Inflammatione exoriri ſupponitur, abſque ulla moleſtia, aut Urinæ ardore per biduum triduumve emanat. Illud autem quotidianæ Experientiæ eſſet contrarium, ſi inflammationi Profluvium debeatur. Quodcunque igitur ulcus aut Inflammatio regnante *Gonorrhœa* animadvertitur, Acrimoniæ Morbi ortum non præbet, ſed originem accipit ab illa.

Hæc autem majorem fidem habebunt, ſi cum

altera virulenti Ulceris Affectione conferamus. *Ulcus* enim, cum primo inciditur, aſperiorem ſemper & vehementiorem conditionem præ ſe fert: E contra *Gonorrhœæ* materia mitis admodum & mollis reperitur, atque in initio, ut ſupra notavimus, exigua corruptione afficitur. itaque quum *Gonorrhœæ* materia cum ea, ex qua Ulcus conflatur, minime conveniat, abſit a *Sapientibus*, ut ad Ulceris naturam *Gonorrhœa* ab iis referatur. Quando hi duo vulgares *Gonorrhœæ* fontes, ad quos tanquam pulchra pollicentes, Medici, (quotquot huic morbo operam dederunt) recurrere conſueti ſunt, refutentur penitus & removeantur. Quando etiam nobis ante omnia curæ eſt, ne falſam ſedem pro vera accipiamus (impoſturam enim comprobando, ad hujus Morbi naturam & curandi methodum perduci non poſſumus) itaque jam penſitemus animo, utrum Liquor aliquis in hiſce locis a Natura ſecretus reperiatur, qui a veneno corrumpi, & in materiam *Gonorrhœæ* mutari poſſe videatur.

Quod ut felicius perſequamur, mente repetendum eſt id, quod ſupra annuimus, varios nempe canales modicæ mehercule magnitudinis in *Urethra* inveniri, qui album viſcidumque Liquorem inferunt, ut ſeminis & urinæ Acrimonia leniatur. Itaque ſi efficiens *Gonorahœæ* cauſa liquoris hujus copiam aut raritatem adaugere, aut colorem mutare, valeat, tum omnia *Gonorrhœæ* Symptomata ante oculos ſubjicientur. Adeo ut ſi hanc rem paulo accuratiori animo conſpectam habeamus, ad *Gonorrhœæ* Naturam di-

directo itinere perveniamus; neque in uno loco (ut inprudentes & ignavi homines ſolent) conſiſtemus, diffiſi commodiora nos unquam veſtigia aſſecuturos: Quo nihil vim infert intellectui graviorem.

Quinimo hæc Hypotheſis veritati ſe magis accommodatam eſt redditura, ſi craſſitudinem, colorem & copiam liquoris eodem prorſus modo, quo antea ſenſibus exhiberi, eodemque ordine malignam cauſam aut tolli penitus, aut ſaltem mitigari, reputemus: Adhæc *Gonorrhœa* in mulieribus ex eodem fundamento repeti & explicari poteſt: Quæ res, ſi alia quacunque Hypotheſi utamur, ad finem perduci nequit, incredibilemque Naturæ harmoniam indicat, qua diverſa ejuſdem ſpeciei opera in diverſis locis temporibuſque effecta, (ſi modo locorum rationes prudenter habeamus) ab iiſdem plane inſtitutis perficiuntur.

Hæc omnia verò manifeſta erunt, ſi (quod ſuo loco notavimus) *Vaginam* ſcilicet, non minus quam *Urethram*, permultis hujuſmodi ductibus inſtrui, memoriæ mandemus.

Ii ædepol canales, qui *Vaginæ* ſuppetunt citius quam cæteri in lucem prodierunt, lacunarumque titulo ſemper fuerunt inſigniti, poſthæc vero hoc vocabulum, quandocunque alteruter ex his ſub conſiderationem noſtram veniat, libenter aſſumemus, quoniam ductus hoc nomine ornati pari ratione ad ſymptomata in utroque ſexu promovenda concurrunt, & *Gonorrhœæ* materiam ſuppeditant: ſola in hac Hypotheſi manet difficultas, quo pacto tam te-

nués & exiguæ Glandulæ ad tantam, quanta in *Gonorrhœa* profluit, copiam ſufficiant, expedire, & qua ratione Liquor, qui valde modicus a Natura valenti homini præbetur, ægroto tam vehementer augeatur.

Ut huic difficultati occurramus, animaderti debet nonnullas Glandulas in œconomia corporis reperiri, quæ non ſimul liquorem ſuum, atque ex ſanguine ſecernitur, emittunt, ſed in Glandulis ipſis, aut in Capſula quadam ſeu Cyſtide, ad hoc ipſum munus comparata, recondunt, unde, cum tempus ita poſtulat, effunditur: alias vero eſſe, à quibus excretorii quidam ductus propagantur, qui prod gis quaſi orificiis Liquorem ſibi jugiter commiſſum jugiter profundunt. Ad primam claſſem reducuntur *Proſtatæ*, *Teſticuli*, atque *Glandulæ*, quæ influunt in veſiculas ſeminales; ad alteram verò pertinent *Miliares Cutis Glandulæ*, iſtæ quoque, quarum excretorii ductus Lacunæ vocitantur, in Mulierum *Vagina*, & in *Urethra* Marium conſperſæ.

Hinc ſequitur, ſi duæ Glandulæ (una ex utraque claſſe accepta) in æqualibus determinatiſque temporibus æquales Fluidorum quantitates excernant, neceſſe eſt unius magnitudinem ab altera multum ſuperari. At verò minimus, (qui fieri poteſt) exceſſus (ſi copia materiæ in utriſque fere æqualis ponatur) quantitati Liquoris iſto Temporis intervallo ſecreti, & in *Glandulis* ſepoſiti certe adæquabitur. Etſi autem hic Exceſſus pro minimo habeatur, tamen differentia inter earum magnitudines vehemen-

men-

mentius multo augebitur, ſi *Glandula*, cui retinendi facultas eſt, quantitatem liquoris duplo, triplo, quadruplove ac majorem, quam quæ uno impetu ab altera *Glandula* extruditur, poſſit continere. Ex quo fit, ut inter harum Glandularum magnitudines quamlibet proportionem aſſignare liceat, quanquam Liquor, in dato tempore ſecretus, eandem penitus in utriſque quantitatem obtineat.

Hinc eſt, quod quanquam Glandulæ, quæ *Urethræ Vaginæque* tribuuntur, adeo exiguæ ponantur, ut aciem oculorum fugiant, tantam tamen fluidorum copiam in determinato tempore fecernendi, quanta a Proſtatis Teſticuliſque conjunctim ſumptis ſeparatur, facultatem habere poſſint. Hoc vero ut fiat luculentius, liceat mihi (quæſo) ſupponere, Glandulas, (quibus Lacunæ ſuppetunt loco Ductuum excretoriorum) in uno minuto tantum liquorem, quantus dimidii grani pondus habebit, jugiter ſecernere. Ea ratione in horæ ſpatio triginta grana erunt ſeparata, atque in horis viginti quatuor, ſive die naturali ſumma ad duodecim drachmas ſeu ſeſquiunciam redibit: Quæ quantitas major erit, quam quæ in mediocri temporis ſpatio a *Proſtatis*, *Teſticulis* & *Vaſculis ſpermaticis* continue ſuppeditabitur. Hinc liquet *Urethræ* atque *Vaginæ* Glandulas eorum Fluminum, quæ in *Gonorrææ* proceſſu in ſenſus incurrunt, origines rite reputari, quippe nulla conditione vacant, quam *Proſtatæ*, *Teſticuli*, vel alia quævis Glandula (eminus ſcilicet ſita) poteſt ſibi vindicare. Inſta-

re tamen contra fortaſſis erit, quo pacto fiat, ut in Glandulis, quæ ad *Urethram* & *Vaginam* referuntur, Liquoris flumen, cum *Gonorrhœa* laboretur; ſupra naturalem modum tam vehementer augeatur. Verum hæc difficultas non minus iis hominibus, quibus placet *Gonorrhœam* in *Proſtatis* collocare, quam qui *Urethram* aut *Vaginam* aſſignant, imminebit. Quippe e ſupra dictis oſtenſum fuit; quod ingens *GonorrhϾ* profluvium ad humorem ex *Proſtatis* ſecretum quam ex Lacunis, parem ſaltem, & fortaſſe majorem proportionem habeat. Atque equidem, ut verbo dicam, in quocunque loco ortus morbi ponatur, eadem ſemper difficultas permanebit, neque unquam erit ſublata è medio, niſi ante expediemus, quibus rationibus Liquoris, a Glandula aliqua percolati, quantitas a Morbo aut Medicamento tam admirabilem in modum poſſit exaugeri. Animalis profecto œconomia nos admonet, ut ſiqua Glandula aut Ductus excretorius ſtimulatione quadam afficiatur, Liquor, qui ab impetu ſtimulativo eſt expulſus, tanto copioſior utique effundetur, quo fortior ſit iſta vis, quæ Glandulas prædictas aut ductus extimulat. Experientia compertum eſt, ſi iſtius pulveris, qui ex Cantharidibus eſt confectus, perpaululum ad aliquam corporis partem admoveas, derepente *Puſtulæ* emergit, & copia Humoris longiſſime uberior a Glandulis per vim ſtimulativam elicitur, quam quæ per inſenſibilem perſpirationem exudat.

Sæpenumero adverti ſolet, paucas hujus

pul-

pulveris particulas, quæ per vechiculum ſanguinis ad Veſicam, parteſque Generationi addictas, perferri poſſunt; irritatione quadam inflammationem ibidem graviſſimam; & æſtum accendere, *Penis* erectionem; & vehementes urinæ ardores excitare. Et vix quidem auſim inficiari, quin, ſi hic Pulvis ad *Urethram*, aut *Vaginam* extrinſecus apponatur; ulcera & graves inflammationes cierentur; atque ingens ſimul liquoris Effluxus *Gonorrhææ* haud diſſimilis erumperet; etſi forte iſtiuſmodi Liquor neque tanta acrimonia & malignitate imbui, nec tantam, quanta in *Gonorrhæa* deprehenditur, fluminis diuturnitatem obtinere videatur.

Quandoquidem igitur virus, quod præ manibus eſt; acri quodam & penetranti ſpiritu imbuatur, quid ni per *Urethram* atque *Vaginam* conſpergere ulcera; Glandulas omnes ferire, & ſtimulare, & ingentem; ſicut Cantharidum vis, Humorum copiam glomerare valeat? Accedit etiam, quod pro certo ſcimus; ſubtile *Gonorrhææ* venenum multo vehementius ſe agitare, celatum & quaſi ſepultum ſubito nonnunquam reſurgere & redundare; mutationemque demum Liquoris granduloſi & depravationem multo graviorem inducere poſſe, quam univerſus Cantharidum impetus minaretur.

Quod ſi adhæc incredibilem Glandularum numerum; ſi Ductuum, quibus gaudent; excretoriorum brevitatem & amplitudinem animis noſtris teneamus, Copia Effluxus pariter & Diuturnitas manifeſtius explicabitur. His itaque omnibus æquo animo ſumptis & perpen-

ſis, non vereor quin ſententia fuerit, omnem Liquoris copiam, quantacunque unquam cernitur in *Gonorrhœa*, à *Vaginæ* atque U*rethræ* Glandulis ſuppeditari poſſe, ſi modo vis ſtimulativa accesſerit.

Cor. 1. Hinc facilem Experimenti, a *M. Blenio* memorati, ſolutionem habemus, qui quaſdam mulieres, nullo licet inter coitum ſemine ejecto, contagem ſuſcepiſſe refert.

Hoc autem Exemplum Hypoteſin ab eo ejuſque ſecutoribus eſtructam funditus evertit, ſed facillimum eſt Explicatu, ſi noſtra de ſede & Materia *Gonorrhææ* Theoria admittatur.

Cor. 2. Noſtra inſuper Doctrina Fœminarum *Gonorhœam* in U*tero* collocandi neceſſitatem nobis nullam imponit. E contra vero Adverſarius abeſſe non poteſt, quin ad ejuſdem Phænomeni in duobus ejuſdem Genoris exemplis exorti explicationem duas Hypotheſes adhibeat, quæ (ſi concedamus) ſymptomatibus tamen in Mulierum *Gonorrhœa* deprehenſis nequaquàm ſatisfacerent: uti ex iis, quæ & in præſenti & in ſuperiori capite dicta fuerunt, luculentiſſimum efficitur.

Verumtamen non deſunt nonnulli, qui Exemplorum ex Praxi ſupra deſumptorum, horum etiam, quæ in ſpeculatione ſola verſantur, Theorematum ignari vix unquam ſe in animum inducent, ut Liquorem a ſola Glandularum Ductuumque excretoriorum ſtimulatione centies millieſve augeri poſſe credant. Sin autem in hoc genere ſtudii inchoati prorſus

ſus non ſint & abſurdi, neceſſe eſt, ut a ſupra allatis rationibus vincantur, ſi ea ſola, quæ Mulieribus, *Fluore albo* laborantibus, accidunt, in memoriam revocent, Liquoriſque copiam in *Vagina* vulgo repertam cum incredibili iſtius morbi profluvio conferant. Conſtat tamen inter omnes hoc magnum flumen a mala tantum corporis valetudine proficiſci, coloremque ejus, atque alias qualitates, tantam cum *Gonorrhœa* ſimilitudinem habere, ut Medici parum periti non eſt inter utrumque morbum dijudicare. Quamobrem mirabilis Liquoris copia, in *Fluore Albo* erumpens, non modo plurimum confert ad meliorem in Mulieribus, verum etiam in Maribus, *Gonorrhœæ* explicationem.

Hac ratione igitur univerſæ, quæ reperiuntur in *Gonorrhœa*, difficultates paucis verbis conficiuntur, & Symptomata fiunt facillima intellectu, ſi modo Hypotheſi noſtræ, quæ ad ſenſus ipſos ſe reddit accommodatam, perpaululum concedamus: Adeo ut quicquid poſthac diligentiæ in Experimentis ſedulo colligendis, & in omnibus Symdomatibus, quæ aut ingraveſcente morbo, aut decedente verſantur, ante oculos ad Hypotheſin noſtram redigendis, & quaſi conformandis, adhibebitur, ad eum tantummodo finem dirigetur, ut addantur (quantum fieri poteſt) Evidentiæ lumina, non ut Veritatis radices refigantur. Prius autem quam propoſitum perficiam, aut ea, quæ univerſim poſuimus, ſigillatim perſtringam, non faſtidioſum erit (ut opinor) Lectoribus, ſi quæ *de Lue Venerea* & de origine *Gonorrhœæ* ſenſerunt Veteres, recitavero.

Fernelii igitur verbis utar, qui ſenſum eorum non ſine elegantia complectitur.

„Vapor deinde, aut ſpiritus ductu cavo Pu„dendi introrepens (neque enim cred.bile eſt, „humoris quiddam eo ſubire) venæ cavæ ſan„guinem arteriæque majoris Spiritum labe„factat. Tunc enim Bubo prorumpit in In„guine: hinc vaſis ſpermaticis, renibuſque „affect.s *Gonorrhœa* ſe prodit; qua virus velut „eructando turpiſſimè ejicitur.

CAP. V.

Ab acri Materia inter Sexus ſparſa, atque communicata, Gonorrhœa *ortum ducit.*

NAtura Acrimoniæ, quæ *Gonorrhœam* conſtituit, vireſque, quas cernimus, incredibiles in clariorem lucem proferentur, ſi cum aliis humoribus acrimonia imbutis, ſive ii ſint, qui in ſtructura humani corporis reperiuntur, ſeu qui ex artificioſa permiſtione proveniunt, comparationem inſtituemus. Imprimis igitur, ſi *GonorrhϾ* virus in Tincturam, ex *Violarum* floribus confectam, aut in ſuccum *Heliotropii* infundatur, protinus Hic in cupreum colorem migrabit, illa verò rubedinem paulo dilutiorem exhibebit. Cum autem ſimiliter colorem utriuſque Liquoris in rubed.nem Acidus ſpiritus ſoleat convertere, indicio eſt, Materiam in *Gonorrhœæ* curſu promanantem acidi & corroſivi ſalis rationem obtinere. Sed cum uſu per-

ſæpe comperimus, quod hoc virus, (& ſi major copia ejus ſit; quam quæ *Carcinoma* excitare, multo autem major, quam quæ *Gonorrhææam* ſolet progignere;) *Peni* ipſi admotum, nullam prorſus ibi puſtulam aut ulcus elicit; nec uſitatas Acidorum vellicationes præ ſe fert, nec delicatam ipſius Glandis ſubſtantiam, nudato licet capite in quibuſdam viris eminentem, expugnat; cum verò e contra in aliis hominibus, qui Glandem nunquam niſi in Coitus articulo Præputii expertem habent, fœdum aliquando *Carcinoma* glomeretur; tuto igitur eſt colligere *Carcinoma*, haud æque in duabus Glandibus, (quæ eandem plane ſubſtantiam, diverſam verò Cuticulæ integritatem ſortiuntur) ab hujus Liquoris acrimonia excitari, qui nihilominus tantas vires exerit, ut exulceratam cutem (quod ab ignibus & aquis fortibus fieri ſolet) ad rugoſam, exuſti carbonis inſtar, ſiccitatem redigat.

Quemadmodum verò quælibet pars Cuticulæ, ſi *Spiritus Vitrioli*, *Stibii butyrum*, *Lapis infernalis*, aut quodcunque aliud medicamentum Eſcharoticum apponatur, ſimili ferè uredine percellitur, ita non ibo inficias, quin *Gonorrhææ* virus ab iſtis medicamentis Acrimonia multum ſuperetur, in eo autem vincit, quod novas, miſtione cum debito humore facta, vires adipiſcitur. E contrario autem pro certo habemus, contagioſam hujus Morbi materiam, ſi cum aliis omnibus ejuſdem generis liquoribus, in humani corporis fabrica unquam repertis, comparatio ſtruatur, præ cæteris vi corroſiva eminere. Acerrima equidem ſanies, quæ ex

ulce-

ulceribus ſcorbuticis , ex *Herpete Miliari* , aut *Cancro exulcerato*, aut *Phagedænicis* , *Chironiiſve ulceribus* ebullit , tenerrimis partibus Corporis , largo licet flumine, admota non modo ulcus nullum , ſed ne puſtulam quidem aliquam, inducit.

Ex iis , quæ jam diximus , natura hujus Acrimoniæ atque conditio colligi poteſt , ſenſibus ſeſe manifeſtius proditura , cum Symptomatum , quæ in Morbo occurrunt , Hiſtoria accesſerit . Deinceps igitur Operatio *Alcidi Spiritus* excutienda eſt , qui fortiores eundo mirum in modum vires adipiſcitur , & univerſos humanæ Fabricæ ſuccos depravans , vitam prius aliquando extinguit , quam ipſe ad ultimum ſtatum , & quaſi periodum perducitur . Modum verò , quo Infans virus ſe exerit , & *Gonorrhœam* cum ſuo Symptomatum Satellitio infert (cum ad Inſtitutum noſtrum magis ſit) paulo enucleatius expendemus . Perniciosſia Liquoris Acidi actio in eo potiſſimum conſiſtit, quod vaſa corporis , quibus inſidet , crebra & vehementi contractione percellat . Hæc verò vaſa (quando aut à Naturali ſua Elaſticitate, aut à celeri motu Liquorum , quos continent, plus minus in priſtinam conditionem reſtituantur) Effluxum Humorum , quos aut ſecernunt , aut continent , uberiorem jugiter effundunt . Itaque oſcula excretotiorum canalium atque ipſi lacunarum ductus ab acri contagiis ſpiritu, quaſi calcare quodam ſtimulati , Liquorem ab hiſce Ductibus proficiſcentem antrorſum urgent cum impetu virtuti ſtimulatrici , cæteris paribus, proportionato.

Hinc

Hinc ea omnia, quæ per totum *Gonorrhææ* ſive prudenter ſeu imperitè ſuppreſſæ, curriculum contingunt, luculenter deducamus; quippe cum vi ſtimulativa ſit ipſa contages, cumque etiam vaſi admoveatur, quod multo vehementius quam *Glandis* ſubſtantia, tactum refugit, non poſſumus dubitare, quin virus *Gonorrhœam* inducens multo minus copioſum ſit, quam quod *Carcinomati* originem largitur: adeo ut veneni quantitas, quæ ad *Gonorrhœam* ſufficit, milleſimam fortaſſe Grani partem pondere non excedat. Si enim inter contagioſam *Carcinomatis*, & *GonorrhϾ* materiam comparatio ulla poteſt intercedere, ex ante dictis efficiatur, nullam prorſus *Gonorrhœam* exorturam.

Ex mea Hypotheſi palam fit, *Carcinoma* intus natum & collectum *GonorrhϾ* flumina reprimendi, ne foras erumperent, poteſtatem habere; Quod licet in experientiam ſæpenumero incurreret, fefellit tamen multos, & in ægroti hominis periculum & in Medici offenſionem male redundavit.

Quamobrem operæ pretium erit hujus Generis exemplum, quod in meam exercitationem incidit, attexere; Quodque ſi attento & ſagaci animo excipiatur, non ſolum ad Symptomatum cognitionem, ſed & ad ipſam Medelæ rationem rite percipiendam magnopere conducet.

Carcinoma, de quo verba facturi ſumus, in *Glandis* radice emicuit, exiguam in initio formam habens, & ad Medici conſilium, cum nul-

nulla *Gonorrhææ* ſuſpicio eſſet, per multos dies non referebatur. Tametſi verò *Carcinoma* ſubitam præ exiguitate curationem polliceri videbatur, tamen unguento meo, ut majoris momenti *Carcinomata* ſolent, non ceſſit, ſed vires ultra ſparſit & partes undique proximas irritavit: Quæ peſſima cum ego adverti judicia, ſtatim in eam incidi opinionem, ut arbitrarer, contagium ſuas omnes in *Urethra* radices agere, & *Gonorrhœam*, diſrupto *Carcinomate*, cito foras erupturam. Protinus igitur interna ægroto medicamenta adhibui, quæ corroſione prius feliciter compreſſa, tribus Hebdomadibus poſt Coitum lapſis, *Gonorrhœam* tandem induxerunt. Notatu quoque dignum eſt, quod Effluxus non ſe (ut vulgo accidit) pedentim glomeravit, ſed magna ſubito copia Liquoris (ut in Recidivationibus; ubi profluvium à Medicamentis Reſtringentibus, fuit coercitum, fieri ſolet) duo ſcilicet cochlearia, duodecim horarum ſpatio, repleturi fundebatur: ex quo luculentiſſime efficitur, Humorem Glandularum Odoriferarum corruptum fuiſſe & paulo uberius ſecretum, cætera tamen erumpere non poſſe, donec incruſtatum *Carcinoma*, à quo repreſſus fuit, prius diſſolveretur. Rem familiari cuidam meo, *in Luis Venereæ* exercitatione ſpectatiſſimo, cum Ego forte impertirem, ille etiam quamplurima in ſua praxi hujus Generis exempla, quorum Ratio ſibi ſtetit in occulto, offendiſſe confirmavit. Ex iis vero unum, quod mihi maximi momenti eſſe videtur, eoque magis, quis & Medicus & Ægrotus jam valent

lent ſuperſtites, ſubjungamus.

Cum à quodam *Lue Venerea* oppreſſo Familiaris meus vocatus eſſet in ſubſidium, intelligebat, præviæ *Gonorrhœæ* ſuppreſſionem per Cathartica Medicamina fuiſſe confectam, pauca autem Reſtringentia adhibita fuiſſe. Profluvium quoque bene & brevi prius deceſsiſſe, tribus verò ſeptimanis poſt lapſis de integro exundaſſe; ingraveſcens Effluxus, iiſdem plane rationibus relevatus, ad menſem delituit, tum vero iterum emergens ab iiſdem Medicamentis reprimebatur: ſtatim à recenti hac ſuppreſsione *Exoſtoſis* eminuit in ægri frontem, complanata verò fuit refluente *Gonorrhęa*, quæ per prædictas rationes rurſus retenta per aliquot menſes perſtitit, donec matura demum in *Luem Veneream* verteretur.

Neque equidem Medicus ipſe, quo Æger utebatur, nec Familiaris meus, quod aut in curatione, aut in diſceſſu *Gonorrhęæ* reprehendi potuit, nihil habuerunt; adeo ut gravis utrique fuerit admiratio, unde *Venerea Lues* tam ſubito extiterit. Accedit quod *Gonorrhœa*, cum diu multumque promanaverit, omni vi ſua & quaſi ſpiculo plerumque ſpoliatur: majori igitur admiratione dignum eſt *Veneream Luem* Effluxui tam diuturno ſupervenire, ſi Prudentia Medicorum reprehenſione juſta caruiſſet.

Verum hæc omnia jam mirari deſinemus, quæ multo magis ante mirabamus, ſi *Carcinoma* in *Urethra* latitans ſupponamus. Vis enim *Carcinomatis*, prædictis curandi rationibus aliiſque, quæ infra ſignificandæ ſunt, adhibitis mitigari;

nec-

necnon Effluxus inhiberi poteſt : ſi enim mini-ma *Venereæ Labis* particula non penitus ſubacta ſupererit, repente partes proximas tentat & quaſi vocat in ſocietatem, univerſam ſanguinis maſſam tandem pollutura. Quando igitur ceſ-ſante *Gonorrhęa* ulterior uſus Medicamentorum amoveri ſolet, *Carcinoma* tuto ſeſe interea agi-tat, & collectis iterum viribus erumpit in *Go-norrhęam*, quæ per antedictas methodos repreſ-ſa alternatim poſtea renovat ſua flumina, donec aut ad perfectam medelam, radice mali fundi-tus evulſa, perducitur, aut repetitis nimium vi-ribus in *Venercam Luem* adoleſcit.

Ἐξοςώσεως ſubſidentia cum *Gonorrhęa* reflue-ret, maximam ſine dubio admirationem habet, non caret verò facili explicatione, ſi quæ in ſecunda hujus Tractatus parte ſuperius dicta fuerunt, diligenti animo percipientur. *Alexan-der Trajanus Petronius* hanc rem aliqua ex parte compertam habuit, cum curationem traditu-rus, qua *Gonorrhęa*, quæ Purgantibus aliiſque Medicamentis reſtitit, tractanda eſt, addit.

„ Sæpe enim hac exiſtenti reliquum corpus „ ab interna Gallici Morbi Labe vindicari con-ſuevit.

Quemadmodum verò hæc vis ſtimulativa continuo ſuas exerit vellicationes, ita quod Ef-fecta ejus continua quoque eſſent, neceſſe eſt.

Hinc fit, ut Materiam noctes & dies & in omni ſitu corporis jugi flumine effuſam depre-hendamus. Notatu quoque digniſſimum eſt, quod hic Liquor non tantum multò citius, quam ſi ulcus aliquod generetur, foras ſe pro-

dit,

dit, ſed etiam multo albidior eſt & viſcoſior quam Ulcus (ut ex ſupra dictis patet) unquam cernitur. Ex quibus manifeſtum efficitur hunc album viſcidumque Liquorem, qui tam ſubito foras apparet, nihil aliud eſſe præter Humorem Lacunarum, non multum contage vitiatum, & ab acido ſpiritu evocatum.

Hæc quidem prima Affectio, utcunque vulgaris ſit, à ſupra memoratis Hypoteſibus evolvi non poteſt, ſi enim omnia, quæ accidunt in *Gonorrhœa, Veſſiculis ſeminalibus*, pro ſede morbi aſſignatis atque acceptis, explicari poſſent, tamen Effluxum fieri prius poſſe, quam *ſemen* aut *Proſtatarum Liquor* eſt corruptus, nemo affirmabit. Quod ſi corruptio ibidem ſupponatur, neceſſe eſt, ut Liquor eodem, quo recens corruptus imbuebatur, colore, vel flavo ſemper, ut viridi perfuſus emanet; quod Experientiæ adverſatur. Præterea, ſi corrupta hæc materies ex Pure conſletur, tum peſſimas in Primordiis ſuis conditiones, maximam nempe flavedinem aut viriditatem habitura eſſet, quod nequaquam deprehendimus. Quando autem hoc Symptoma Hypotheſi noſtræ tam facile ſe reddit explicatu, novum exinde opinio noſtra firmamentum aſſequitur.

Liquor equidem, qui incipiente morbo albulus & viſcidus apparet, ingraveſcente eo rarior & flavus & viridis evadit. Raritas autem ex accedente ſecreti Humoris copia repeti magna ex parte debet, & ſi fortaſſe ad liquorem aut ſalium, qui flavedinem efficiunt, naturam quodammodo referatur. Flavus verò color partim

D fla-

flavis humani ſanguinis humoribus, partim etiam acidis ſalibus, qui *Gonorrhææam* excitant, debetur. Quod ad primos ſpectat; pro comperto habemus Liquores, ſi ſecretio in hiſce locis præcipitetur, aut ſi qua læſio forte offendat Glandulas, impuros magis quam alias, & mixtos ſeparari. Hinc confirmatur, quali ratione Fel hoc Liquore permiſtum colorem flumini flavum ſubminiſtrat. Hoc verò non tantum à ſenſibus noſtris non abhorret, ſed etiam ad quotidianam Experientiam accommodatur: In *Scrophuloſis* enim aliiſque id Genus ulceribus Humor ebulliens intenſiori, quam qua *Gonorrhæa* inſignitur, flavedine ſuffunditur, quanquam color fortaſſis, cum in linteolum exareſcat, paulo debilitatior exhibetur; cujus cauſa eſt, quod horum Ulcerum Liquor, (cui color ſubjicitur) cum *Gonorrhææ* latice rarior ſit, citius exareſcat atque abeat in vapores. Cum verò hæc flavedo quiddam cum contagioſis Ulceribus, quiddam quoque cum non contagioſis communicet, quidni colligamus flavum in utriſque Colorem ab eadem cauſa, à bilioſis nempe ſanguinis particulis proficiſci? præſertim etiam cum uſu frequenti cernimus *Gonorrhæam* ſæpenumero ad optatam medelam perduci, quaudo ad ultimam utique guttam Flavedo perſeveraverit. Res autem ſe ita habere non poſſet, ſi Flavedo ſemper pars ſit, vel indicium Contagionis.

Quandoquidem verò flavi laticis, qui durante *Gonorrhæa* effunditur, ſuppreſſioni *Venereæ Lues* perſæpe ſuccedat, probabile admotum eſt ipſam

ipſam contagem à natura ita eſſe comparatam, ut Flavedinem excitaret: & conjectura quoque conſequimur, quod Acidi ſalis rationem flava hæc & corruſiva materies obtineat, quia viriditatem (reliquum Effluxus colorem) Miſtione cum Urinæ ſalibus, aut AlKali, animalibuſque Lymphæ particulis facta facile inducit.

Cor. 1. Ex his luculenter conſtat, quo citius Profluvium erumpit, eo vehementiorem, cæteris paribus, acrimoniam fuiſſe; eo autem leniorem, quo diutius cohibetur, niſi forte *Carcinoma* intus deliteſcat.

Cor. 2. Profluvii incrementa proximis poſt initium quatuor aut quinque diebus allata ſe habent, ut gradus curroſivæ virtutis in iſto temporis intervallo acquiſiti.

Cor. 3. Effluxus color eo intenſior per ſingulos iſtos dies efficitur, quo major accedit copia ſalium, quorum ratio præ Fluidorum quantitate indies accreſcit.

Cor. 4. Provecto Effluxu *Venerea Lues* generari nequit, quia Contages per *Pudenda* penitus ejicitur, quæ, ſi forte Egreſſus denegetur, refluit in ſanguinem & Luem polluendo veneream inducit. Schol. Ex omnibus his ſimul ſumptis manifeſto efficitur, materiam *Luis Venereæ* eſſe venenum quoddam, quod ſibi cæteros Humores aſſimilandi facultatem habet, quodque idcirco nunquam, niſi internis curandi rationibus adhibitis, radicitus evellitur.

Prius tamen, quam præſens caput conficiam, valde ad rem erit, ſi unam *D. Blenii* obſervationem breviter perſtringam, utpote quod

ſingularis admotum notæ eſt , & totam ejus ſententiam de ſede & natura *Gonorrhææ* funditus evertit. „ Quando , inquit ille , premente „ *virulenta Gonorrhæa* , ingens mingendi de-„ ſiderium excitetur , quando quoque materiæ „ Effluxum , qui Canalem ſuum vexat , undique „ & percellit , viridulo quodam aut flavo colo-„ re perfuſum cernamus , tum dubitare non „ poſſumus , quin Veſica Parteſque proximæ in-„ flammentur. Superius verò luculenter oſten-„ dimus , quanta abſurditate hujus morbi ſedes „ ad Veſicam referatur.

Notatum quoque vellem , quod hic Vir certam veſicæ Inflammationem áb hac Liquoris viriditate aut flavedine ſignificari vult.

Quid igitur de mulieribus eſt cenſendum , quæ de viridulo hoc & flavo Effluxu participant ? Harum verò Veſicam hujus morbi participem eſſe ille ipſe non concedit. Sed ne amplius immorer in debili ejus Hypotheſi redarguenda ; illud , quod Medici fere omnes oſtendunt , animadvertendum cenſeo , materiam nimirum *Gonorrhææ* abſque ulla Penis erectione in Maribus , & abſque ullo Titillationis ſtimulo in utroque ſexu exundare , ſicuti hoc Symptoma æque in miti & quaſi inermi *Gonorrhæa* atque in virulenta deprehenditur , non eſt ut pro formali hujus indicatione accipiatur. Utrinque autem Ratio eſt , quia Flumina hujuſce morbi vel valvularum , quæ vaſculis ſpermaticis appenduntur , relaxationi , vel Liquori a Lacunarum ſtimulatione concitato originem ſuam debent. Hi verò Effluxus , cum neutra

ex

ex parte aut cauſæ ſint aut effectus cupidinis, nullum prorſus voluptatis ſenſum excitant.

Magis verò eſſet accuratæ veritati conſonum notaviſſe, quod ſtimulativa hujus acrimoniæ vis tantam in initio & fine morbi Titillationem Penis progignit, ut vix unquam *Gonorrhœæ* reperiatur, quæ iis temporibus non ſecum affert nocturnas Pollutiones.

Quæ ad vulgares *Gonorrhœæ* indicationes univerſim pertinere viſa ſunt, nec non natura, ſedes, & cauſa hujus morbi ſatis fuſe ſunt explicata, illud proximum eſt, ut videamus, an Hypotheſis noſtra ad Symptomatum omnium explicationem quadret, & ad eorum moleſtias mitigandas ſufficiat, dum morbus ipſe, à quo hæc mala propagantur, præcipuam Medici curam ſtudiumque occupat.

CAP. VI.

De acutis Doloribus, qui inter mingendum cientur.

Dolor, qui inter mingendum excitatur, tam conſtans eſt *Gonorrhœæ* affectio atque comes, ut pro ipſo morbo perſæpe à Gallicis Scriptoribus ſubſtituatur. Quando hic Dolor Infante morbo plane nullus ſit, neque gliſcit unquam, niſi humores magnopere depraventur; quando etiam multo ante Effluxus ſuppreſſionem (vi tantum acrimoniæ retuſa) hujuſmodi Angor penitus extinguatur, igitur pro ſolo ejus Symptomate haberi debet. Qua ratione vero

hos dolores urina procreat, facillimum erit intellectu, ſi *Urethram* ex partibus tum membraneis tum ſpongioſis, confici recognoſcamus. Cum enim Partes membraneæ ab acri aliquo Humore vellicentur, protinus nervoſæ Fibræ aſperitate quadam laceſſitæ efficiunt, ut liquores, qui aut jucundum aut nullum plane ſenſum antea intulerunt partibus, acerrimum jam dolorem atque moleſtiam inducant. Hinc eſt, quod urina ſalinis particulis onuſta, & quaſi ſaturata Fibras pungat fortiter & perſtringat.

Hæc autem omnia demum clariora innoteſcent, ſi nervoſas quaſcunque humani corporis Fibras, externa cute ſpoliatas, aquaque ſalſa aſperſas, gravi ſtatim dolore perfundi meminerimus.

Ex eo autem quod Humor (qui ad eum uſum a natura comparatur, ut ab urinæ & ſeminis acredine *Urethram* protegat) vitiatus ipſe Fibras feriat, quas debuit tutari, neceſſe eſt, ut multo vehementior utique & aſſidua moleſtia efficiatur. Quippe Liquor, ab Odoriferis Glandulis ſuppeditatus, non modo *Urethræ* fiſtulam, defectu ſuo nudam atque inermem, incurrentibus ictibus & impreſſionibus exponit, ſed etiam ipſe acri ſpiritu correptus majorem in modum graſſatur; multoque graviorem, quam urina aut ſemen poſſunt ciere, doloris ſenſum commovet. Hinc igitur magiſque eluceſcit, quemadmodum delicata *Urethræ* ſubſtantia ſalſedine Laticis percellitur.

Sicut autem caloris perceptio, cum lotium nobis calidum decurrat, Doloris perceptionem ſe-

ſecum ſemper ferat, mentem facile inducimus, ut urinæ æſtum eſſe Doloris cauſam judicemus. Porro cum urinæ eſtum pariter atque Dolorem à Liquorum, qui fervido ſpiritu imbuuntur, potu provectum Medici deprehendant, idcirco hanc Experientiam non ſolum vocabuli Idiotiſmo, verum etiam Symptomatis explicationi ſufficere exiſtimaverunt. Illud etiam ex eo magis confirmari videbatur, quod tenui potu accepto, & æſtus & dolor ſenſim deferveſceret.

Quandoquidem autem veram Doloris cauſam ſuperius indicavimus, nullius negotii erit hæc Exempla tot Paralogiſmorum fœcunda evolvere, & explicare.

Si enim ſalſus hic Liquor certam humani corporis partem, cum cutis integumento ſpolietur, acerbo poſſit cruciatu conficere, tum ædepol quo copioſiori ſalſedine Liquor oneratur, eo major aut certe conſtantior Doloris ſenſus erit: & è contra, quo minorem ſalſedinem ferat, eo etiam minus erit ad Dolorem excitandum accommodatus.

Illud inſuper pro certo habemus Liquores, qui homines inebriare ſolent, univerſos (niſi ſupra modum accipiantur) urinæ ſerum diminuere, eos vero, qui ad Aquæ conditionem inclinant, exaugere; eoque melius quo frequentiori hauſtu ingurgitantur; cum igitur ſeri quantitas, à ſpirituoſis Liquoribus minuatur, ab aqueis vero & tenuibus incrementum capiat, neceſſe eſt, ut ſales, qui urinam ingrediuntur, ſupra naturalem modum in Temulen-

tis hominibus glomerentur, atque adeo graviorem moleſtiam inducant; in Aquæ autem potoribus rariores ſint, & minori fibras acrimonia exagitant. Quapropter acutus inter mingendum dolor (nulla alia caloris aut frigoris Liquorum, quos bibimus, ratione habita) aut ſeri copia imminuenda intenditur, aut augmentanda relevatur. Hæc verò omnia clariora erunt, ſi eadem Operatio à ſiccis Medicamentis perficiatur. Si unum enim Medicamentum, cujus vires in ciendo lotio exercentur, alterum autem, quod ſeri copiam in alias corporis Glandulas projiciat, adhibeatur; Relevatio, quæ à priori Medicamento, & ſuſcitatio Doloris, quæ ab altero provenit, (quanquam hi Effectus plane diverſi ſint) certa tamen ſemper & definita deprehenditur, ex quibus omnibus univerſim ſumptis manifeſtius patet acutos Dolores, qui, dum urina redditur, ſentiuntur, ab urinæ ſalibus excitari, adeo ut hic ardor urinæ à Latinis & Gallicis Scriptoribus ad hoc tempus fuit male enodatus. Quanta vi Calor diſcutere ſales urinæ & in inermes fibras impellere queat, non eſt hujus loci dicere (quod etiamſi dicatur) novam Theoriæ noſtræ confirmationem eſſet additurum.

Ex eo autem quod primæ atque ultimæ guttæ, cum redditur urina, graviorem ſemper dolorem incutiant Ægrotis, *Veteres Medici* ſuſpicionem Calculi in Veſica latitantis habuerunt, qui talem fere ſenſum ſolet, qualis in *Gonorrhæa* percipitur, ſuſcitare.

Verum hæc Affectio ex iis, quæ ſuperius dicta

dicta erant, facillime eruitur. Quemadmodum enim ſalſo lotio, quod per exulceratam *Urethram* deſertur, dolor debetur, ita vehementior utique erit, ſi urina ibidem tamdiu diverſetur, donec ſalis particulæ ab erumpente Liquore diluantur & diſſolvantur: at verò fœdum virus *Gonorrhœa* primas urinæ guttulas aliquantiſper irretit in curſu, atque extremas quoque detinet, quo minus a canali ſeſe cito expediant; ex quo fit, ut Homines acerrimum, & incipiente & ceſſante impetu mingendi, dolorem ſentiant, quoniam lotii Sales, cum iis præcipue temporibus urina detineatur, altius in *Urethram* inſerunt ſua ſpicula, & infigunt.

Obiter quoque notandum eſt, quod ſicut in eo loco, ubi corpora cavernoſa Glandi anne-ctuntur, mingendi æſtus & dolor excitatur, ita recens exinde Argumentum delabi videtur ad Opinionis noſtræ confirmationem, & nullum prorſus Liquorem ex *Proſtatis* cæteriſque remotis locis, tanquam ex fontibus, promanare, ex obliquo demonſtrat.

Urinæ ardores, quibus mulieres hac Ægritudine affectæ percelluntur, iiſdem ſane rationibus innituntur, quibus nos uſi dolorem in maribus enodavimus; etſi illarum dolor haud morbi ſedem tam certo fortaſſis & commode, ac virorum, quibus urina per totam partem exulceratam ſpargitur, deſignet: Illud enim eſt probabilius *Vaginam* Fœminarum totam affligi; doloris verò aculeos in Lacunis inferioribus, quæ *Urethram* ſubeunt, quæque idcirco ſolæ lotio irrigantur, percipi & contineri.

Nimirum hic ardor urinæ, quem pro Symptomate nos recenſemus, ita paſſim in ore *Gallicorum* Scriptorum verſatur, ut (ſi iis credendum ſit) dignus videatur, qui morbo ipſi nomen præbeat, omneque Medicorum ſtudium ad relevationem ejus & medelam vocet. D. *Blenius* (a) profecto profluvium materiæ ab urinæ dolore disjungit, magnopere tamen laborat, dum utriuſque terminos deſcribere, & alterum abſque altero exiſtere poſſe contendit; ex iis autem uter partes in *virulenta Gonorrhœa* majores agat & graviores, expedire nullo modo poteſt: quanquam paulo infra oſtentat ſe (b) diſcrepantiam iſtam abunde manifeſtam reddidiſſe.

Hoc propoſitum a D. *Blenio* diſcrimen inter *Gonorrhœam* & urinæ ardorem ab univerſis *Gallicorum* Scriptorum patrociniis defenditur: atque alter ex eorum numero Vir probatus, dum paulo fuſiori calamo rem ſatagit evolvere, in majores difficultates atque errores incurrit.

„ (c) *Gonorrhœa*, inquit, in duas ſpecies diſtinguitur, quarum una ab impuro Concubitu inducitur, & propter materiam viridem, flavam atque acrem ex Pene projectam *Virulenta* nuncupatur. Altera verò *Urinæ ardor* dicitur, qui vegetum quendam palpitatemque æſtum mingentibus ægrotis infert, & vel a nimio Veneris fervore, vel ab immodico tenuis cereviſiæ potu proficiſcitur. Profluens hujus materia, quæ ſeminis nomen non „ me-

[a] Pag. 125, 126.
(b) Pag. 127.
(c) Verduc. Tom. 2. *Suite de la Pathologie* p. 10135.

„ meretur, aquea eſt & limpida, & ad albu-
„ minis fere ſpeciem compoſita, nullumque
„ voluptatis ſenſum inter decurrendum exſuſci-
„ tat. Quod ſi forte hic æſtus non remittat
„ aliquid, ſed in plurimos dies ingraveſcat, tum
„ *Virulentæ Gonorrhææ* conditionem induit, ve-
„ hementemque Penis diſtenſionem, maximam
„ excandeſcentiam, maciem demum & lan-
„ guorem & moleſta id genus Symptomata
„ inducit,

Ipſa quidem harum deſcriptionum ratio confuſos potius hujuſce Scriptoris & Sectatorum animos indicare, quam juſtum aliquod inter duas, quas aſſignat, *Gonorrhææ* ſpecies diſcrimen ponere videtur: Symptomata enim ex utraque parte eandem plane, (quantum ad *Gonorrhæam* pertinent) faciem oſtendunt: neque *Gonorrhæam* illam, quam Medici *Simplicem* vocant, in *Virulentam* abiiſſe Experientia unquam confirmavit: adeo ut diſcrepantiam, ab hoc *Authore* conſtitutam, fingi potius in phantaſia & adumbrari, quam vim aliquam in natura & fundamentum habere merito judicemus. Urinæ ardorem, quem ille jactitat, quemque etiam ſub Symptomatis ratione nos ſupra accepimus & explicavimus, non eſt ut ulterius proſequamur. Illud tamen audebo dicere, aliam quamvis *Gonorrhææ* ſignificationem ad eum finem multo commodiorem fore, quo magis hic morbus in diverſas ſpecies decidatur. Præterea macies & languor ab eodem Viro quoque ad lucem excitantur; neque enim alibi apud *Medicos* Scriptores exſtiterunt in ſignorum numero,

ro, quæ *Gonorrhœam* conſequuntur. Verum horum omnium hallucinationum radix ex eo deduci videtur, quod hi homines *Gonorrhęam* ad optatum exitum, extincto urinæ æſtu, ſtatim perferri animadverterent.

Quando autem Symptomata omnia a ſingulorum morborum fontibus promanant, ita certe quo leniora indies & remiſſiora hæc ſenſibus præbeantur, eo etiam apertius mitigata morbi rabies & vires fractæ denotantur.

Cum igitur urinæ æſtum (qui ex eo prorſus excitatur, quod interiores *Urethræ* partes a vi ſtimulativa perculſæ integumenti præſidio ſpolientur, atque acutis urinæ ſalibus pateant) ſedatum paulo &, ſalſedine lotii etiamnum ſuperſtite, deferveſcentem videamus; certiſſimum eſt colligere, gratam illam mutationem & medelam ex virtutis ſtimulatricis remiſſione omnino proficiſci; ex qua ratione efficitur, urinæ ardorem leniri ſemper prius debere, quam materiæ flumina ad extremam guttam deveniant.

Hiſce omnibus rite perpenſis, *Profluvium Humoris* præcipuum eſſe & Pathognomonicum hujus morbi indicium, ardorem verò lotii, aliaque Symptomata, de quibus infra dicendum eſt, a ſola materiæ virulentia provenire, neceſſe eſt ut concedatur.

CAP.

CAP. VII.

De Conſtrictionis dolore, qui Pene erecto percipitur: de Glandis & Fræni inflammatione: necnon de Hiatu qui in Urethræ *extremitate deprehenditur.*

VIs illa, quæ *Penem* rigidum coſtringere videtur, ita adhuc in abdito delituit, ut ex Medicis plurimi abſolutionem ejus vix auſi ſint attingere, plurimi etiam a *Fræni* inflammatione, (reclamante licet Experientia & *Veterem* ſuffragiis) haud ſejunxerunt. *Iodocus Lommius*, non ſine aſſenſu aliorum, qui de Medicæ artis ſtudio optime meriti fuerunt, cum de Ulcere in *Urethra* glomerato diſceptetur, addit „perfectam iſtiuſmodi Ulceris generatio„nem a certo quodam dolore ſignificari, qui ta„lem ſenſum in Pene exſuſcitat, ut veluti fune „ſubſtringi videatur.

Quando autem hic dolor cum eo prorſus conveniat, quem ſermo Gallicus *Chordee*, Anglicus verò *Corded* appellat, maxime eſſet ab iſtarum Linguarum Idiomate alienum, ſi quis forte aliquem à *Cordee* perſtringi dicat.

Verum in Praxin Medicam multo magis injuſti eſſemus, ſi hoc Symptoma ſenſibus tam obvium & manifeſtum ſupprimere & celare, aut in aliam partem tanquam in exilium tranſferre conemur, quo melius ab ignorantia rei, quæ difficiles explicatus habet, mentes noſtras vin-

vindicemus : eo enim pacto Experientia (quod avertat veritatis Amor) adducitur, ut dignitatis ſuæ faſces vanitati Hypotheſum ſubmittat.

Mirari quidem ſatis non poſſumus, *Ulcus* aliquod ita poſſe membrum corporis, ubi inſidet, commovere, ut ſeſe vi quadam graviter conſtringi credat, cum ſola partium divulſio & molis incrementum ante Oculos verſaretur. Magis in promptu eſt ſenſibus judicare, partes contiguas a ſe invicem recedentes, *Divaricationis* potius ſenſu quam *Conſtrictionis* perculſas fore.

Adhæc, quod multo magis incredibile videatur, totum Ulcus in intima *Urethræ* ſubſtantia verſatur, vis tamen, quæ exulceratam hanc fiſtulam comprimit, extra ſeſe agitat.

Hæc noſtra Opinio ex iis colligitur, quæ de ſitu *Urethræ* atque ſtructura ſupra attulimus. Hic enim Canalis, cum inter cavernoſa *Virgæ* corpora propagetur, compreſſionem, illis inflatis, ſtatim ſubit, quæ tanto gravior eſt, quo partes circa poſitæ vehementius diſtendantur.

Hinc eſt quod *Urethra*, cum prematur undique & in anguſtias redigatur, tali fere dolore affligitur, qualis eſſet excitatus, ſi fune quodam circumligetur.

Coarctatam hanc *Urethræ* conditionem adeo moleſtam fieri alibi annuimus, ut ſemen atque urina, dum Penis plurimum rigeat, non ſine maximo labore & pœna extrudantur.

Cor. 1. Locum, ubi inſidet, necnon quouſque ſe ſpargit Peſtis, erectionis dolor deſignat.

Cor. 2.

Cor. 2. Hinc quoque colligere licet, *Urethræ* regiones, quæ juxta Veſiculas ſeminales ſunt ſitæ (ſi ex his virus delabatur) acutiori, quam cæteræ, moleſtia perſtringi debere, quod Experientiæ adverſatur; atque equidem conſtrictionis dolor, qui nunquam ſeſe antehac ſubmiſit explicatui, ab Hypotheſi noſtra feliciter abſolvitur.

Non eſſet fortaſſis a præſenti tempore alienum, ſi tentiginem *Virgæ* fere continuam, quam quibuſdam viris infert *Gonorrhœa*, paulo acriori animo contemplemur. Sed cum irritatio, qua Penis inter contagioſi Humoris decurſum indeſinenter vexatur, in promptu ſit, & perſpicuam hujuſce *Priapiſmi* rationem adhibeat, non eſt ut ibidem ultra conſiſteremus.

Rapimur potius (quo inſtituta ratio nos vocat) ad alias ſtrages, quas edit ferum *Gonorrhææ* virus, ad turpes nimirum *Pſoras* & *Ulcera* & *Marcores* perſtringendos.

Inter fœda vero veſtigia, quæ promanans Peſtis in Pene relinquit, præcipuum ſibi locum vindicant Glandis & Fræni *Inflammatio*, *Urethræ hiatus*, immania *Carcinomata*, necnon *Phimoſis* & *Periphimoſis*, de quibus pauca in limine operis locuti ſumus.

Inter omnia corporis humani organa nullum reperitur, quod aut graviori pœna affligi poteſt quam *Glans*, aut majori voluptate perfundi: ſubſtantia enim ejus, cum plane ex nervis & fibris conſtituatur, tenuiſſimaque tantum membrana veſtiatur, incurrentium corporum ictibus pene inermis patet, atque impulſus quaſi

in-

integros excipit & conſervat : unde fit , ut *Glans* præ cæteris injuriam ab acri humore & venenato atrociſſimam accipiat : Quando enim hujus membri fibræ, cum Renitentia ab altera parte facta nullius fere momenti ſit , Penem verſus corripiantur, protinus a contractionis vi Glans in breviorem ſtatum & defenſionem redigitur, ſanguiniſque vaſa, quæ nervis hiſce & fibris implicantur, magno impetu compreſſa inflecti inter ſe, & velut arcuari incipiunt : his vaſculis verò inflexis, contenti ſanguinis curſus repente inhibetur, & præternaturalis copia conglomeratur, quæ veſiculas capillares ſupra modum diſtentans, gravem undique inflammationem inducit.

Quocirca vis ſtimulativa ab acri liquore profecta inflammationem imprimis exſuſcitat, quæ propter pellucidam membranæ, qua Glans circumcingitur, tenuitatem Oculis noſtris paulo evidentius ſubjicitur. Sicuti autem ſtimulativo humoris ſpiritui inflammatio hujus membri debeatur, ita ſemper ad eas partes, ubi cavernoſis corporibus Glans inſeritur, Fibrarum contractio dirigetur, quæ in ſingulis eo vehementior erit, quo fortior cauſa apponatur.

Quod ſi vis ea, qua fibras retrahi deprehendimus, ab *Urenbræ* oſculo cavernoſa corpora verſus ſemper intendatur, neceſſe eſt ut *Urethræ* labia divellantur a ſe invicem, unde *Apertio* ejus ſive *Hiatus* proficiſcitur.

Ex varia hujus *Fiſtulæ apertione* conſequimur, ut ſimul de atrocitatis gradibus, quibus ſævit virus, atque de Remediorum efficacia, quæ

vel

vel ad leniendam vel penitus tollendam fluoris acredinem adhibentur, judicium ſatis juſtum feramus; quia quo acrior ſit Contagis ſpiritus, eo etiam Glandis inflammatio gravior, & *Hiatus Urethræ* fœdior, cæteris paribus, indicabitur.

Quæ de inflammatione, quam virus *Glandi* infert, dicta ſunt a nobis, eadem ad *Fræni* quoque inflammationem & ſpiſſitudinem evolvendam quam maxime conducunt. *Frænum* enim, quod exterior Glandis membrana conduplicatione ſua efformat, eidem quoque fato, ſcil. inflammationi ſpiſſitudinique, ſubijcitur, ſi modo eadem peſtis ſibi admoveatur, a qua ſpiſſitudine partes ejus in breviorem conditionem coactæ Glandis apicem, cui annectuntur, ſecum retrahunt. Quod, cum fieri cernitur, *Chordee* a *Neotericis* Medicis jam vulgo nuncupatur: obſtrepunt verò *Veteres* univerſi, qui ſolum illum conſtrictionis dolorem, quem erectus Penis aliquando percipit, ab iſto vocabulo apte denotari exiſtimarunt.

CAP. VIII.

De Carcinomatibus & Cryſtallinis.

INter prima Symptomata, quæ ſeſe in *Venereo Morbo* produnt, *Carcinomata* numerantur; atque (a) vetus Scriptor ſignificat nobis Tubercula illa (quæ in Glandem aut Præputium, aut in utrumque nonnunquam apparent,) ex acrimonia humorum, qui inter Coitum agitantur,

E Vene-

(a) *Ant. Muſ. Braſav.* pag. 585, *Scriptorum*, &c.

Venereiſque Contagij particulis, quæ in Uteri collo continentur, aut quæ ex Pene Maris profluunt & propagantur, originem ſuam habere.

His præmiſſis, pro certo ſtatuimus ingens diſcrimen inter Fræni Præputiique *Carcinomata*, atque ea, quæ Glandem cæteraſque Corporis partes exagitant, intercedere. Hæc enim *Tuberum* quorundam marginibus aſperis circumſeptorum ſpeciem exhibent; illa verò nunquam ſupra cutem cernuntur emicantia, ſubſtantiamque, quæ manu compreſſa humorem excernit; duriuſculam ſortiuntur, & magnam eorum, quæ in Labris inferioribus verſantur, (quæque *Cancrorum* nomen gerunt) Ulcuſculorum ſimilitudinem præ ſe ferunt. Cum verò utraque horum *Carcinomatum* ſpecies ſubſtantiam duram, humores acredine imbutos habeant, cumque etiam de aliis multis *Cancrorum* affectionibus participent, eſt equidem ut ea Καρκινοῦσθαι dicamus, & vulgaris vocabuli *Cancri* apud *Latinos* & *Carcinomatis* apud *Græcos*, acceptatio analogicum nomen nuperis hiſce *Ulcuſculis* impoſitum authoritate juſta præmunit. Quod ſi quis forte miretur *Carcinomatum*, quæ in Fræno & præputio deliteſcunt, medelam in tot ardua atque anguſtias *Scriptores* conjeciſſe, is mirari deſinet, cum ſciat naturam eorum & Symptomata haud ſatis attento animo fuiſſe accepta, ex quo fit, ut neque deſcriptio clara, neque apta (uti jamjam annuimus) nomina relinquantur.

De Medele *Carcinomatum* non hic eſt dicendi locus: Qua ratione *GonorrhϾ* virus, dum

per

per Penem delabatur, *Carcinoma* inducat, in præſenti tantum ſciſcitamur. Cogitantibus autem nobis & memoria duritiem aliaſque *Carcinomatum* affectiones reputantibus occurrit partes undique proximas ab acri *Gonorrhææ* ſpiritu aut liquores coagulante, aut ignis ad inſtar diſſipante indurari; adeo ut cum cauſtico *Vitrioli* aut *Origani* oleo, cum *Lapide infernali*, aut *Igne* etiam ipſo, cognationem quandam habere hæc Peſtis merito exiſtimetur.

Sola Humorum coagulatio, aut etiam diſſipatio, ſatis erit ad eorum, quæ in Frænum & Præputium, cæteraſque partes membraneas, graſſantur, *Carcinomatum* explicationem: Quæ verò ſupra Glandis ſuperficiem emicant *Tubercula*, coagulationem Fluidorum potius, vel ſaltem interclusionem requirunt. Adhæc quoque Liquorum coagulationi magis quam diſcuſſioni duritiem *Carcinomatum* deberi ex Medicamenti cujuſdam uſu ultra confirmatur, quod nonnullis abhinc annis excogitatum in publicas manus nondum ante hac emanavit. Quippe Liquoribus minimo negotio atque dolore a vi hujus Medicamenti reſolutis *Carcinoma* abſque ſubſtantiæ læſione extinguitur; *Eſcharoticis* verò Medicaminibus adhibitis caro non ſine ſumma moleſtia imminuitur: Quod multos *Medicos* in eam opinionem adduxit, ut cauſam *Carcinomatum* vires igni ipſi haud abſimiles habere credant.

Quando autem ab acri *Gonorrhææ* ſpiritu, qui Præputium Glandemque vellicat, *Carcinomata* cientur, igitur Glandes, quo teneriores ſunt, eo faciliores hanc feram Peſtem excipient, hæc

quidem eſt miſera iſtorum Virorum conditio, quibus Glans ſuo Præputio ſuperintectus nunquam non fovetur: in eorum enim Præputio (quoniam Glans propter continuam obductionem mollis admodum eſt & delicata) Contagies diutius detenta multam ſibi moram aſſequitur, qua & longius latiuſque ſuas vires ſpargere, altiuſque infigere poſſit.

Hinc igitur Modum intelligimus, quo *Carcinomata* in complexu Venereo communicantur; qua ratione formantur, facilem cognoſcendi anſam nobis exhibet *Mercurius Dulcis*, qui (ſi forte nimius daretur, aut vellicantibus ſuis ſalium quaſi aculeis haud ſatis & ſecundum artem ſpoliaretur) fere eadem in Linguam atque Genas ulcuſcula, quæ in Præputio *Carcinomata* ſunt, ſolet ſuſcitare.

Cor. Hinc igitur ea, quæ Naturam ſibi propriam neque a *Gonorrhœa*, cujus Symptomata interdum ſunt, pendentem vindicant, quæque ex *Venerea Lue* profluunt, *Carcinomata* facile dignoſcimus: idque fit, ſi juſtam Temporis, quod inter *Coitum* & *Carcinomatis* exortum interponitur, Conditionemque, quæ *Gonorrhœam* deſignant, cæterarum rationem habeamus. Hæc autem cognoſcere, tantum eſt negotii, ut acutiſſimorum *Medicorum*, eorumque in univerſis *Morbi Gallici* provinciis verſatiſſimorum, aciem eluſerit.

Omnia hæc, quæ ſupra recenſentur *Carcinomatum* Genera (utcunque incredibilia nonnullis videantur) agnoſcit *Blenius*, quorum verba, quanquam varia *Carcinomatum* diſcrimina notare,

re, nobiſque tradere non potuit, erit operæ pretium recordari.

„ Experientia (inquit ille) nos admonuit, „ homines permultos Doloribus, Impetigini- „ bus, Verrucis Carcinomatibuſque vexatos „ fuiſſe, qui Luem tamen Veneream nullam ha- „ buerunt.

Significat ſane quaſdam unicuique Ulcuſculo adeſſe quaſi Notas, à quibus una ſpecies eorum ab altera diſtingui queat, notas, verò illas nullibi commonſtravit, quæ a præcedenti *Theoria* facile eruuntur.

In proximam noſtram conſiderationem de *Cryſtallinis*, veniunt *Cryſtallini*, qui inter peſſimos *Gonorrhææ* ſatellites collocari ſolent; ſunt autem *Tubercula* quædam, ſive *Phlyctænæ* aqueo humore repletæ, & *Cryſtalli* ſpeciem induentes. Cæterum quoniam hæ veſiculæ aqua vacant aliquando, itaque digito compreſſæ langueſcunt, & abſque ullo dolore levigantur. *Cryſtallini* in Præputium ſolum coacervantur, cujus partes circa has veſiculas undique poſitæ livido quodam rubore, qualis cernitur in *Contuſionibus*, perfunduntur. Cum verò inter ruborem hunc, atque illum, qui a ſupra memoratis Præputii Glandiſque inflammationibus conſpergitur, diſcrimen magnum intercedat, in promptu eſt, neque *Cryſtallinos* ipſos, neque circumjacentium partium *rubedinem*, a virulenta *Gonorrhææ* acrimonia ullo pacto excitari.

E regione ſi colorem ſubfuſcum pariter ac rubrum cum eo, qui in omnibus contuſionibus accidit, paulo accuratius conferamus, cum ra-

tione colligere licet hunc etiam ab eadem cauſa proficiſci. Quod ſi *Contuſionem* quandam fieri ſupponamus, *Phlyctænarum* formatio ſtatim perfacilis erit explicatu, præſertim quoque, ſi ingentem lymphaticorum vaſculorum numerum, quibus hæc corporis pars inſtruitur in memoriam revocemus. Quippe lympha, (cum iter ejus a contuſione intercluditur) veſiculas ſuas ita diſtendet, ut naturalis earum Forma, quæ ſcilicet *Cryſtallinorum* figuris exquiſite reſpondet, conſervabitur. Lymphatica enim neque planam ſuperficiem neque faciem, quam cætera vaſa gerunt, tam accurate *conicam* aut *cylindricam* obtinent. Licet enim *cylindrici* generis revera ſint, inæqualia tamen & nodoſa a multis, quas frequentes eorum valvæ afferunt, interclusionibus redduntur: nempe lympha, ſi forte tardius aliquanto progredi, aut retrorſum cedere cogeretur, in nodos *cryſtallinos* protinus conglobatur. Manifeſtum eſt igitur, quod *Cryſtallini* a coitu nimio fortaſſe excieri, nequaquam verò a Contage aliqua inter concubitum ſuſcepta poſſunt proficiſci; ſed earum partium (ut verius dicamus) quæ generationi inſerviunt, ineptitudini adſcribi debent.

Partem autem illam, quæ in Fœminis generationi dicatur, *Natura* auguſtam parit, aut *male Meretricum Artes* efficiunt.

Methodus inſuper, quam in *Cryſtallinorum* curatione adhibemus, opinionem ſuperius allatam haud mediocriter corroborat, ſicut enim hæc *Tubercula* abſque ullo *Gonorrhææ* periculo ſæpe cernuntur emicantia; ita abſque ulla ejus ratio-

ratione habita ſemper ſanantur: quod minime fieri potuerat, ſi eſſent Symptomata *Gonorrhœæ*. Verum magis eluceſcent hæc omnia, cum ad ſpecialém *Cryſtallinorum* curationem perventum erit.

CAP. IX.

De Phimoſi & Periphimoſi.

EX *Carcinomatum* atque *Cryſtallinorum* natura tandem patefacta vix ſupereſt occaſio dubitandi, quin quod *Phimoſis* ac *Periphimoſis* a *Carcinomatibus* & *Cryſtallinis* in Præputium congeſtis potius, quam ab acri *Gonorrhœæ* effluxus ſpiritu, *Carcinomata* iſta excitante, immediate proficiſcantur; licet quædam forte horum tam ſævorum Symptomatum anſa ab acrimonia vere præbeatur. Quemadmodum enim *Phimus* ſeu *Phimoſis* eſt quaſi quædam Glandis ſuffocatio, ita ut Præputium ſemel productum ægerrime retrahi queat; ſic ſi quando in Glandis collo Præputium conſiſtat, neque ultra poſſit promoveri, morbus iſte a *Paulo Ægineta Periphimoſis* vocitatur. Utriuſque autem affectionis cauſa palam in ſenſus noſtros incurret, ſi quid ſit quod motum Præputii promptum lubricumque, quod verò tardum & difficilem efficit, perpendamus.

Balani Glandulæ a Natura (ut ſuprà annuimus) comparatæ ſunt, ut viſcidum quendam humorem ſeparent, qui irrigatione ſua Glandem fovet atque lubricat, facitque, ut Præpu-

tium facilius ultro citròque agitetur. Si quando igitur harum Glandularum liquores ultra modum coagulantur; nec in Glandem ſe conjiciunt, tum ſua munia non ſine labore magno & moleſtia Præputium exercet, atque a fœdis *Tuberculis Carcinomatibuſque* indies vexatum,& miram in ſpiſſitudinem coactum, in Glande tandem conſiſtit & commoratur.

Adde quod Præputium, quum non ex unica, ſed ex geminata membrana conficitur, *internam* ſuam, quæ Peni eſt proxima, membranam conſtipatam habere poſſit, dum *exterior* fortaſſe nulla ſpiſſitudine implicatur. Hinc a novo, qui a Glandis ſuffocatione coguntur, humorum affluxu ſpiſſa Præputii amplitudo majorem in modum promovetur, & gravior quotidie *Phimoſis* & *Periphimoſis* excitatur.

Haud erit (ut mihi perſuadeo) ab inſtituto noſtro alienum, ſi *Phimoſeos* cujuſdam ex Glandis ſiccitate & inflatione profectæ Hiſtoriam, ubi nulla acrimoniæ, nulla Venereæ Luis ſuſpicio reſidere poterit, in præſenti attexamus. Hæc *Phimoſis* (de qua loquor) infanti cuidam variolis affecto accidit, adeoque vehemens fuit, ut omnis mingendi facultas per bidui ſpatium præcideretur: Hæc autem inter primam *Carbonum* deſiccationem coorta ad ipſam ſubſidentiam permanſit. *Fœmineum* Genus non modo in *Gonorrhœa*, verum in aliis quoque morbis *Phimoſi* affligitur.

Phimoſis enim (ſi accurate dicamus) iis tantum mulieribus attribuitur, quibus adeo arcte ſtringitur & obſeratur Vaginæ Orificium, ut

omnis

omnis ibi aditus denegetur. Pari verò poſtmodum ratione factum fuit, quod univerſæ Corporis partes, quæ a Natura propatulæ comparantur, ab inflatione verò anguſtæ fiunt & obturatæ, idem ſibi nomen vindicarunt. Hinc eſt quod *Labiorum*, *Palpebrarum*, *Anus* & *Præputii* haud rarius, quam ipſius *Vaginæ Phimoſin* audiamus. Atque equidem animadverſione digniſſimum eſt, hæc Symptomata non tantum primævo ſuo titulo fuiſſe ſpoliata; ſed etiam vocabulum illud (*Phimoſis*) ita transferri a *Recentibus* & immutari, ut ad eandem rem, quæ apud *Galenum Æginetam* priſcoſque Medicos *Periphimoſis* eſt vocata, ſignificandam traderetur. Hujuſmodi autem error, qui haud minimam rebus confuſionem intulit, ab imperitia potius Medicorum videtur, quam a novitatis ſtudio, profluere. Quocirca mirari ſatis non queo, eruditiſſimum *Gorræum* in tam gravem hallucinationem incidiſſe.

Hæc nominum quoque inverſio apud *Blenium* eſt inſigniſſima. Virorum *Phimoſis* (ait ille) eſt tanta Præputii contractio; ut ad Penis Glandem obducendum extendi non queat, e regione verò ægrorum *Periphimoſi* laborantium Præputio Cutis tam firmiter adhæreſcit, atque ultra Glandis apicem tantopere porrigitur, ut Penis quaſi præfocetur, & Glans Cute obducta omnino vaneſcat.

CON-

CONCLUSIO.

Ratio, cur Mares facilius Gonorrhœam quam Mulieres ſuſcipiant, necnon verum inter Fluorem Album & Gonorrhœam diſcrimen eventilatur.

EX *Gonorrhææ* Natura & Symptomatibus (quæ nobis ſuperior ratiocinandi methodus patefecit) manifeſtum efficitur, hujus morbi Symptomatumque cauſam in utroque ſexu (quantum partes generationi ſervientes permittunt) plane eandem eſſe. Noſtra autem hujus Rei explicatio a cæteris omnibus Hypotheſibus, quæ pro diverſo ſexu ſemper ſunt diverſæ; quæque plerumque ſibimetipſis non conſtant, quamplurimum diſtat.

Etſi verò per totum *Theoriæ* curriculum ad Mares potiſſimum oculos conjecimus, tamen quicquid in fœmineo genere proprium & peculiare reperitur, de manibus noſtris elapſum non eſt. Quapropter totum *Gonorrhææ* ambitum, ſicut in utrumque ſexum ſævit, eventilatum ſatis eſſe atque abſolutum non eſt ut dubitemus.

Prius verò quam ad *Gonorrhææ* curationem progrediamur, duo præmittenda ſunt, quæ ſeſe antehac haud commode obtulerunt.

Imprimis cauſam inveſtigabimus, cur Viri multo citius quam Mulieres Contagem *Gonorrhææ* hoſpitentur; deinde certos inter *Fluorem Album* Fœminarum & *Gonorrhœam* terminos (quod

(quod tanti adhuc negotij fuit) conſtituere conabimur.

Quod ad primum, pro certo habemus perpaucos Viros, qui rem cum Fœmina hoc morbo afflata habuerunt, contagij (quantulunque ſit) immunes evaſiſſe: e contra vero Fœminas, ingentem licet hujus veneni copiam ſuſceperint, *Gonorrhæam* effugiſſe Experientia atteſtatur. Quod ſiquis hoc forte miretur, is mirari ſtatim deſinet, ſi animadvertat liquorem vitiatum effluere a Viro cum ſemine commixtum. Cum verò ejectum ſemen contagem copia longe ſuperet, cumque etiam mollem admodum ſubſtantiam & viſcoſam ſortiatur, igitur veriſimillimum eſt, Peſtis acrimoniam, (præcipue cum in Vagina commoratur) aut a ſuperiori ſeminis abundantia obrui, aut a viſciditate implicari & retundi: Quo pacto fit, ut Peſtis neque ipſas Vaginæ Lacunas ſtimulare, neque humorem ex earum ductibus proficiſcentem poſſit vitiare. Hinc intelligi ſatis queat, quomodo ſana Fœmina, infectum licet Marem patiatur, impune ſæpenumero elabitur: Vir verò, ſi minimum hujus veneni igniculum excipiet, protinus accenditur & pœnas luit: Contages enim omnibus ſuis viribus armata ad Viros traditur, neque ulli; niſi ex Lacunis, humori occurrit, qui ad diſſolvendos magis & propagandos veneni ſales, quam ad obtundendos aut opprimendos, valet.

Huc etiam repetendum eſt, quod Mulieres, cum ſuos menſes agant, contagem adhuc ægrius hoſpitantur; ſanguis enim tum temporis ab

ab Uteri orificio dimanans non modo irretit & obtundit hos acidos ſales , ſed etiam fortiter una trahit atque ſecum projicit e corpore.

Accedit quoque, quod ſanguis jugi flumine in *Vaginam* exoneratus per quatuor aut quinque aut plurium dierum ſpatium indeſinenter ex eadem effluit , quo pacto ad Peſtem extinguendam magnopere accommodatur.

Neque vero de mollium liquorum viſcoſorumque facultatibus (quibus ad acidi ſpiritus ſtimulos implicandos fragendoſque ſunt comparati) quiſquam dubitare poſſet , niſi qui Experientiam ipſam reprehendit , niſi qui olea atrociſſima fortiſſimoſque ſpiritus (ſi cum lentis viſcidiſque miſceantur) adeo corrigi & caſtigari , ut in Pharmaca perquam ſalutaria abeant, obliviſcitur.

Ex his omnibus igitur facillimum eſt colligere : qua ratione acidus *Gonorrhϵæ* liquor a ſemine & ſanguine menſtruo ſubigatur.

Proxima demum & difficilis provincia nobis reſtat , ut inter *Gonorrhϵam* & *Fluorem album* quid interſit, necnon quibus notis & quaſi characteribus ambo dignoſcantur , diligenter excutiamus. Cum enim Fluor æque in hoc *Morbo* ac in *Gonorrhœa* lentus ſit & albulus , flavus & nonnunquam viridis ; Urinæ etiam æſtum perſæpe ſecum trahens , non mirum eſt quod fines & quaſi lapides terminales utriuſque tantum adhuc in abdito latuerunt.

Albus Fluor , ſi *Baglivio* credamus, in caſtarum Fœminarum menſibus diſcriminari facile poteſt : utpote qui pro illo tempore evaneſcit,

&

& cum ſanguine prorſus commiſcetur, ſin autem mulieres *Gonorrhœa* polluantur, tum ille ſignificat utrumque morbum diſtincto flumine decurrere.

Hanc autem *Baglivii* animadverſionem, quippe quæ Fabulam fictam ſapit, nec omnino ad quotidianam Experientiam reique ipſius Naturam quadrat, non eſt ut ultra eventilemus: quomodo enim fieri poſſit, ut duo liquores, qui perquam promptem uniuntur, in eodem compreſſo alveo tardi delabantur, puri interea a ſe invicem, & ſeparati conſerventur?

Quibus rebus probe perpenſis intelligimus, nullos aut liquoribus, aut ſedi fluoris originique notas ſatis clare inuſtas eſſe, ut horum morborum diſcrepantiam inde perſpectam habeamus. Eandem materiam, (jugem nempe Lacunarum liquorem) uterque morbus ſortitur; Colores materiæ eoſdem etiam eſſe, ſupra fuit ſignificatum: neque igitur ex materia neque colore, quod multum diuque deſideratum eſt, aliquid conſequimur.

Quandoquidem verò *Fluor Albus*, ſuaque Symptomatum cohors, ex cauſis & quaſi ſcintillulis, quæ intra muliebre corpus accenduntur, *Gonorrhœa* verò ex iis, quæ extrinſecus ſunt admotæ, originem accipiat, idcirco veras differentiæ notas aſſequi nunquam poſſumus, niſi ad peculiarem modum, quo alteruter morbus generatur, mentem convertamus. Hæc autem ratio quotidianæ Experientiæ ſe reddit conſentaneam. Etenim poſt colores *Gonorrææ* atque acrimoniam in mulieribus ſubactam, albi

cu-

cujuſdam lentique liquoris effluxus ſæpenumerò ſupereſt, qui a *Fluore albo* ægre diſtinguitur, quam ob cauſam ſordidus Empiricorum Grex miſeras mulieres ad remedia iſti morbo accommodata referunt, mercedem verò poſtulant, quaſi toti jam penitus *Gonorrææ* ſatisfeciſſent, cum effluxus iſte (ſi qua alia) pars eſt & quaſi veſtigium *Gonorrææ*.

Ad has autem obſervationes magnam lucem afferunt ea, quæ de Virorum *Gonorrhœa* ante diximus: Coloribus enim, quibus eorum effluxus inſequitur, diſſipatis, atque urinæ æſtu deferveſcente, *albus Fluor* ſeu *Fluor* (ut ſemper vocari ſolet) *abſque Virulentia* ſtatim cernitur. *Fluorem* autem *album* Maribus attributum, (quanquam in hac parte æquo jure ac de Mulieribus dici poſſit) me nunquam memini audiviſſe. Quapropter cum omnia *Gonorrhœæ Fluoriſque Albi* Symptomata in mulieribus tantam inter ſe ſimilitudinem ſortiantur, ſignum aliquod Pathognomonicum, quod aut a fluminis ſede aut colore peti poterit, non eſt ut expectemus. Igitur univerſæ diſcriminis rationes ad prudentiam *Medicorum*, & ſagacitatem relinqui debent; niſi forte fluor *Carcinomata*, alioſve certos *Gonorrhœæ* comites indicaverit.

PARS

PARS SECUNDA.

CAP I.

De Generali Gonorrhææ Conſilio: ſpeciatim verò de Methodo Directa.

QUemadmodum in ſuperiori hujus operis parte vehementer elaboravimus, ut nullis Hypotheſibus, quæ paſſim receptæ ſunt, freti atquæ confiſi ex ſolis *Gonorrhææ* Symptomatibus ſedem ejus atque naturam eruamus, ita totam in præſenti operam dabimus, ut a morbi Natura ita tandem explorata, & ex Modis, quibus abſque ope Pharmacorum effluxus inhiberi nonnunquam cernitur, Curationis methodum eliciamus. Hoc enim Conſilium & inſtituto noſtro, & rei naturæ paulo melius, & plenius ſatisfacere videtur, præſertim quando methodi *Therapeuticæ*, quæ in populari uſu ſunt, nec Ratione nec Experientia multum innituntur.

Ex iis, quæ ſuperius ſunt allata, intelligimus veram *Gonorrhææ* cauſam eſſe depravationem humoris cujuſdam, in *Glandulis Odoriferis* à natura ſeparati, cujus acrimonia hæ Glandulæ excretoriique ductus graviter ſtimulati *Fluorem* commovent, & conſervant: necnon pro certo comperimus, *Gonorrhæam* fluendo opem ſibimetipſi atque medelam afferre, ſi modo effluens humor depravantem contagis ſpiritum copia ſuperaverit. Unde fit, quod quamdiu ſtimu-

ſtimulativa vis continuos latices in *Urethram* conjiciat, tamdiu omne *Morbi Gallici* periculum removetur, qui immanes ſuas ſtrages edere prius nequeat, quam ab importuno Pharmacorum uſu *Fluor* aliquo modo cohibeatur.

Siquis igitur abſolutam *Gonorrhææ* medelam aſſequi velit, neceſſe eſt, ut vel Peſtem ipſam, a qua humores ex *Odoriferis Glandulis* emanantes vitiantur, radicitus evellat, vel Fluminis curſum, quo morbus ſibi aliquando ſuccurrit, promovendum curet.

Methodus quidem, qua ex his prius propoſitum conſequi poſſimus, in communi uſu nondum verſatur, ad poſterius vero tota Medicaminum, quæ in manibus habentur, Praxis intenditur: quæ res ideo in majori dubitatione atque periculo ponitur, quod Rationes adhibendi commodiſſimas attingere non poſſumus.

Prudentia *Medicorum*, quæ ex hac parte deſideratur, in cauſa eſt, quod nos toties de bona curationis ſpe deiiciamur, quod morbi Symptomata urgeantur maxime, & in pejus vertantur, quodque *Gonorrhœa* ſæpe ſecum trahat agmina malorum, quam ipſa eſt, multo graviora. Æquas itaque has indicationes, quæ in directiores medendi tramites quaſi manu nos ducent, impræſentiarum perſequar.

Neque equidem mirari merito poſſimus Medicamina, quibus acer contagii ſpiritus funditus evellatur, in omni adhuc Temporum memoria fuiſſe inaudita: neceſſe enim eſt, ut *Medici*, quando nec materiam *Gonorrææ*, nec ſedem veram calluerunt, in varias quaſdam Theo-

rias

rias inciderent, quæ, niſi falſæ eſſent & adumbratæ, in eam illos opinionem adduxiſſent, ut tam directam curandi methodum attingi nunquam poſſe arbitrarentur. Cum verò ab *Odoriferis Glandulis*, quorùm excretorii Ductus perbreves & in propinquo ſunt, *Gonorrhææ* flumina propogari comperimus, facillimum eſt intelligere liquorem in *Urethram* injectum ad ipſa Glandularum quaſi penetralia ſibi viam munire poſſe, quo pacto præternaturalis Fluor ſimul cohiberi, & Contages domari queat.

Atque equidem ingentia, quæ temerariam injectionum Praxin conſequentur, incommoda ſatis magno argumento ſunt, *Gonorrhææ* fontem & veluti domicilium ab iis tangi & agitari. Vafri igitur ii aſtutique homines, qui Injectionum uſui clamoribus magnis adverſantur, id in animo habere videntur, ut inanes magis terrores excitarent, quam vera ad ſalutem Ægrotantium promovendam Auxilia afferrent; cum præclaræ Injectionum facultates in Experientiam eorum atque Oculos incurrant. Itaque ſiquando Pharmaca, ex quibus Injectio aliqua componitur, ſe ſano intelligentium judicio permittant, ſi quoque *Gonorræam* a nonnullis Injectionibus ſublatam & feliciter confectam, ab aliis verò male confirmatam & in pejus converſam, quotidianus uſus atteſtetur; malevoli quidem Cavillatoris eſt, Injectiones itidem univerſas rejicere & ablegare; probi verò & prudentis *Medici*, ut ex hoc Genere eas tantùm devitet, a quibus plurima aliquando Mala inferri & ſua obſervatio, atque aliorùm Praxis, ſignificavit,

cavit; omnem cautionem & diligentiam adhibere.

Quanquam autem Argumenta hæc, quæ ad Injectionum utilitatem & fructum demonſtrandum jamjam attulimus, Inſtituto noſtro ſatiſfacere videantur, paucula tamen quaſi ex abundanti adjungam, quæ haud mediocrem directæ huic Methodo auctoritatem & Hominibus curioſis literatiſque jucunditatem (ut ſpero) ſunt additura.

Et quidem haud injuria in pretio erit hæc noſtra Injectionum ratio, ſi Pharmacum unumquodque ex eo maxime commendari, quod morbum ſine periculo & ſine mora conficiat, diligenter perpendamus.

Imprimis enim non modo virorum *Gonorrhœa*, verum & Fœminarum multo citius ab hac Methodo, quam à quacunque alia, ſubigitur, *Albuſque* ille mulierum *Fluor*, qui vulgaribus curandi rationibus non cedit, ſiſtitur & cohibetur. Illud quoque prætermitti non debet, Injectiones noſtras in quovis *GonorrhϾ* tempore cum fructu adhiberi, tantiſque ſemper facultatibus pollere, ut (acido veneni ſpiritu protinus retuſo) nova deinde Incrementa ad Profluvium nunquam afferantur. Si igitur ad ineuntem aut paululum gliſcentem *Gonorrhœam* Injectio admoveatur, juvamen multo facilius aſſequimur, utpote quod in Effluxu modico pauciores plerumque Labis particulæ continentur: è regione verò neceſſe eſt, ut Effluxus copia vehementer prius augeatur, quam ex Diureticorum Medicaminum aut Cathar-

tharticorum uſu utilitatem aliquam ſperemus: prioris enim Generis *Pharmaca*, cum neque ad Contagem corrigendam, neque ad Profluvium protrudendum, valeant, morbo (ut palam fit) poteſtatem faciunt, ut ab acido ſuo ſpiritu ſeſe interea intus agitante exaggeretur: Poſteriora vero ad Effluxus ſtimulos ſuas quoque vires ſtimulativas attexunt, quo pacto Profluvii copia graviorem in modum promovetur; at ſiquis diſcrimen illud, quod inter harum Methodorum facultates atque hujus noſtræ intercedit, attento animo excipiat, hanc equidem inveniet fortiter domantem frangentemque vires Contagionis, illas verò aut manſuete ſinentes ut venenum ſe foras expediat, aut ſaltem urgentes ut citius aliquantulum extra veheretur; quarum utraque adſtringentium Pharmacorum neceſſitatem imponit, quorum auxilia in directa Methodo accerſi non debent.

Præterea, Injectionum uſus non tantum propter efficaciam celeritatemque, qua *Gonorrhœam* ſubigit, ſed etiam propter minimum periculi, quod habet, maxime commendatur. In directa enim hac Injectionum Methodo non tantum ipſa Acrimonia extinguitur, verum & feri ejus ſatellites feliciter opprimuntur, in Indirectis verò Res contra cadit: *Purgantia* enim Medicamina acredinem armant & exacuunt; *Diuretica* autem præſidium omne, quo Fibræ muniuntur, ſubmovent & exturbant. Utraque igitur ex parte conſtrictionis dolor, urinæ æſtus & cætera, quæ ſupra memoravimus, ſymptomata neceſſitate quadam

inducuntur, neque tamen in directam Methodum unquam ſolent imminere: immo ab ea urinæ dolor, licet vehementiſſimus ſit, optimiſque Remediis in quacunque alia via adhibitis obſtitiſſet, in duodecim aut viginti quatuor horarum ſpatio mitigatur.

Quando igitur hoc noſtrum curandi conſilium, ſive Directum, quem affectat, ſanationis tramitem, ſive inſigne, quod præſtat, juvamen reſpiciamus, indirectam Methodum longe ſuperaverit, id demum nobis contendendum eſt, ut freti Principis illis, quæ de *Gonorrœa* ſupra tradidimus, Injectionem efficacem excogitemus.

Illud inſuper ſedulo eſt videndum, ut de ſalute, quam utraque Curandi ratio pollicetur, Judicium juſtum faciamus. Neque enim æquum erit illos, qui Injectionis ope ad ſanitatem juvantur, per totum vitæ curriculum vanis Recidivationis terroribus examinari, qui verò cæteris curandi Methodis valetudinem fortaſſe debuerunt, illos, ſi per exiguum menſis ſpatium a morbo valeant, ut nihil futuri metuant, imperari. Tempora in utraque Praxi eadem eſſe debent. Cumque ex *Modernis* nemo, quum ſanati non modo extra periculum ſed extra metum ſe poni confidant, exquiſitum Tempus definiverit, Doctiſſimi *Fracaſtorii* Formulam, quæ ad Experientiam vere componitur, audiamus.

„ *In primis mirum illud erat: quod labe recepta,*
„ *Sæpe tamen quater ipſa ſuum compleverat orbem*
„ *Luna, priuſquam ſigna ſatis manifeſta darentur.*

Ni-

Nihil igitur mali (Experientia teſte) habemus quod ultra eſt metuendum, ſi modo *Gonorrhœa* per quatuor menſium ſpatia evaneſcens nunquam ebullierit, nec ulla *Venereæ Luis* indicia protulerit.

A Directo hoc curandi conſilio, in quo, acrimonia morbi penitus ſublata, ad optatum exitum *Gonorrhœa* perducitur, excuſſo, & (quantum in nobis eſt) explicato novam quoque Utilitatem conſequimur. Quippe cum veriſimillimum ſit, idem Medicamen, quod largiſſimam Contagis copiam opprimit, Contagis vim, ſi forte rarior daretur, multo facilius oppreſſurum; tum haud injuria in eam opinionem adducimur, ut injectionem hanc noſtram ad ipſam *Gonorrhœæ* cauſam, cum primum communicetur, extinguendam valere credamus, ideoque glorioſum προληπτικοῦ φαρμάκου titulum mereri.

Hic autem eventus (ſive *Gonorrhœæ* in ipſis quaſi radicibus evulſio) non inducto Effluxus incremento, in cæteris rationibus Therapeuticis ſperari non poteſt: ab jis enim (ut ſupr- oſtenſum fuit) Effluxus copia magnopere augetur, & minimam ſuppreſſionem *Venerea Lues* certo excipit. Egomet verò, ut rem uno verbo conficiam, curioſitati fræna eatenus permiſi, ut *Anticipantis* hujus Injectionis periculum in quoſdam ex utroque ſexu ſalaciſſimos fecerim; quæ Contagem omnem ab eorum Corporibus inter effuſiſſimas Libidines depulit. Atque quidem vis hujus Remedij efficacior eſt, quam ut in tam petulantem hominum gregem conferata:

tur: quocirca ne in parte flagitiorum, quæ indies perpetrant, dum hos a Peſtis periculo ſecuros præſtent, ego quodammodo eſſe videar, eſt mihi in animo hoc Arcanum in æternas tenebras retrudere.

Digniſſimum denique eſt notatu, quod ſicut illa valetudo mulierum, quæ *Fluor Albus* vocitatur, magnam in præcedenti Theoria ſimilitudinem cum *Gonorrhœa* genere dicebatur, ita felix juvamen ab eadem Injectione uterque morbus adipiſcitur. Quod ſignificari hoc in loco & declarari volumus, quia ex eo innoteſcit, quam conſtans ſibi ſit noſtra Theoria, quamque omnibus numeris abſoluta.

CAP. II.

Indirecta Methodus, quæ Effluxum adaugendo ad Medelam procedit.

SEcunda curandi Indicatio, præcedente *Gonorrhœæ* Hypotheſi innixa, id ſibi proponit, ut tantam, quanta veneni vires extinguat, Effluxus copiam excitaret: hac enim ratione humor ille, qui ex *Glandulis Odoriferis* proficiſcitur, in proceſſu temporis ſordes ſuas contagioſas quaſi expurgat, inque ſuo curſu ſiſtitur, niſi forte brevium Excretoriorum Ductuum Elaterium a tam gravi Effluxus diuturnitate vehementem in modum læderetur. Cum itaque, ut ſupra annuimus, hujus morbi curatio, niſi ab Acrimoniæ retuſione, aut ab evacuatione, confici nunquam poſſit, illud omnino relinqui-

tur,

tur, ut, quatenus Medicamina ab Experientia nobis commendata duobus hiſce propoſitis inſerviant, videamus. Ea igitur, quæ rariora ſecum mala atque pericula afferunt, optima utiliſſimaque exiſtimari debent: ex illa enim, una conditione cujuſque Pharmaci aptitudinem capimus, & optima quæque Medicamenta cum optimis adhibendi Methodis feliciter aſſequimur.

Antequam autem progrediamur, operæ pretium erit, Rationum pondera, quæ Medicorum animos, ut Pharmacis vulgaribus utantur, induxerunt, leviter attingere; præſertim quoque, quoniam hujus generis Medicamina aut in præſenti aut ſuperiori ſeculo excogitata eſſe, neque unquam apud Priſcos homines in uſu fuiſſe, paſſim credantur.

Imprimis igitur argumenta, quibus antiqua Purgantium, Diureticorum, Adſtringentium, Balſamicorumque Remediorum Praxis niteretur, breviter perſtringam; deinde etiam ea, quæ apud recentes Medicos valorem habuerunt, attexam; poſtremum autem veras antedictorum Medicaminum vires & commoditates, cum de iis ſigillatim egerimus, paulo diligentius excutiam.

Gonorrhææ Curatio obſcure ſatis (a) a *Bernardino Tomitano*, clarius aliquanto a *Proſpero Borgarutio*, qui varia deſiccantium ſtypticorumque incommoda recenſet, ſignificatur. Hic Vir vitium ſeminis, ut effectricem hujus morbi cauſam, ſibi traditum ab *Antonio Muſa* in men-

(a) Cap. 9. p. 163, 164, Scriptorum &c.

te habuit; ideoque ea omnia, quæ ſemen & Veſiculas ſeminales refrigerant, præclaris laudibus accumulat, ſedulo autem nos admonet, ut omnem, præſertim in principiis morbi, Adſtringentium uſum fugiamus.

Porro Refrigerantium Medicamentorum præparationem quam optime cum *Gujaco* & *Sarſaparilla* fieri exiſtimat, eam ſcilicet ob rationem, quoniam *GonorrhϾam* Venereæ Luis ſatellitem & ſymptoma eſſe arbitratur: addit etiam ea Pharmaca, quæ a *Galeno*, *Aetio* aliiſque antiquis *Medicis* ad *Simplicis GonorrhϾ* Curationem commendantur, ingentes quoque ad *Virulentæ* medelam commoditates ferre. At verò univerſæ hæ curandi indicationes a falſa morbi opinione, quæ quondam percrebuit: quæque ad noſtra uſque tempora deſcendit, omnino profluxerunt. Purgantia quoque Remedia ab eo laudantur, inter quæ primas partes *Caſſia* obtinet, utpote quæ virtute ad omnes Renium vaſculorumque ſeminalium affectus ſanandos ſpecifica imbuitur. Atque hæc vis ejus ſpecifica ab hoc Viro tam mire prædicatur, ut hæc ſit Potio purgativa, quæ ab eo præ cæteris præſcribitur, quæque a *Recentibus* pleriſque religione quadam adhibetur: In quibuſdam verò temporibus minorem, quam vulgo ſolet miniſtrari, hujus Pharmaci doſim præberi oportère, (ut ſpecificam hanc ſuam facultatem paulo tardius fortiuſque exerceat) ille docet cum conſenſu plurium *Neotericorum*.

His Medicamentis prius ab ægroto acceptis, ubi Adſtringentibus locum dat, de ſelectiori-

bus,

bus, quorum formulis, quæ hujus *Medici* animo arrident, infra a nobis dicendum erit.

(a) *Alexander Trajanus Petronius* hujus veſtigia præ cæteris ſequitur. Purgantia, inquit, Pharmaca atque Laxativa, quæque vim quandam refrigerantem habent, egregii ſunt uſus; potiſſimum verò *Caſſia*, quæ ſimul facultate Purganti imbuitur, Reneſque & Veſicam purificat. (b) Poſtea verò cum de virulentæ *Gonorrheæ* Curatione verba facit, omnem ſuam Praxim a ſequenti ejus & falſa *Gonorrheæ* Hypotheſi deducit:

„ Hic enim morbus (ait ille) aut ſemine vi-
„ tiato & partibus calida intemperie male af-
„ fectis gignitur; aut omni vitio ſeminis amo-
„ to & partibus omnibus præter Glandulas,
„ quæ παραστάται dicuntur, ad integritatem
„ reductis nihilominus perſeverat, tanquam ſe-
„ men per ulcera, quæ in his Glandulis adhuc
„ aperta manent, non exire poſſit.

Quando autem ſigna quædam, quæ ex utraque parte in ſenſus incurrunt, quæque vera ſunt *Gonorrhœæ* Symptomata, pretuliſſet, addit quoque præcipuam Indicationis anſam ab Ulceribus *Paraſtatarum* præberi.

Sed vero ne forte confuſio aliqua mentem, dum hujus generis Symptomata attente obſervitet, in Praxi diſtrahat & perturbet, primo vulgares recenſet Indicationes, deinde ſpeciales quaſdam apponit, quibus omnibus diligenter excuſſis, omne ſtudium eo convertendum

nos

(a) Cap. 4. lib. 7.
(b) Cap. 7. 12.

nos admonet, ut Inflammatio imprimis mitigetur, ut dolor gravis atque urinæ æſtus leniatur, ut Purgantia demum & Diuretica adhibeantur, quorum facultatibus vitium omne & contagio foras protruderetur.

Priſcorum hominum intentionibus, fundamentiſque earum perpenſis, necnon Remediis, quæ ab iis juxta principia ſua laudabantur, allatis atque expoſitis; jam illud nobis eſt faciendum, ut Recentium Virorum principia & Medicamina, quæ ſibi propria vindicantur, quæque genere toto ab Antiquis differre vulgo jactitantur, excutiamus.

(a) D. *Blenius*, cum *Gonorrhæam* aliquando in *Morbum Gallicum* migrare ſecum reputaſſet, omnes nervos noſtros in eo intendi arbitratur, ut *contagioſum Spiritum, ne ſuas ultra vires agitet, foras confeſtim pelleremus.* Quoniam autem malignum hoc virus tantam ſævitiam aſſequi prius non potuerit, quam *inſolita quædam Efferveſcentia atque Inflammatio* (ut ejus verbis utar) *veſiculas ſpermaticas invaſiſſet; ideo non minus ſtudii tribuendum eſſe cenſet, ut hoc Symptoma, quam ipſam morbi cauſam, corrigamus.* (b) Alio quoque loco, atque diſertius aliquanto, hæ Indicationes referuntur, cum nobis vehementer præcipit, ut *ad Dioretica Medicamina Catharticorum ſtimulos addamus.* Si quando autem fœdum Contagis vitium copioſe ſatis ejici & expurgari animadvertatur, tum (c) *intelligo Ef-*

(a) Cap. 7. Part. 2. pag. 137. 138.
(b) Pag. 141.
(c) Pag. 142.

Effluxum a Stypticis & Deſiccantibus ſiſti oportere, ut iis, quæ de Contage ſuperſunt, particulis abſorptis, Veſiculæ à continua irritatione relaxatæ ſe tandem in naturalem libertatem vindicent, & facultas omnis, ne has partes vellicent & pungant, a Venenis Acidis quamprimum auferatur.

Propoſiti noſtri ratio non poſtulat, ut totam *D.Blenii* Theoriam in præſenti perſequar, & ſupervacaneum eſſet, ſi inter Curationis conſilia, quæ ab illo & ab antiquis Medicis ſtatuuntur; cum ad eadem prorſus redeant, comparationem inſtituam: Quid enim quæſo, inter Contagis evacuationem ope Purgantium Remediorum (quæ a priſcis Medicis & recentibus mire perdicantur) factam intereſt, atque ejuſdem ejectionem per diuretica (quæ æque ab utriſque etiam collaudantur) abſolutam? idcircone diverſam a ſemetipſa naturam *Craſſia* ſortitur, quoniam & a vetere *Trajano* & ab hujus ævi Medicis magnopere præſcribitur? idcircone demum Refrigerantia, Balſamica aut Adſtringentia a ſibimetipſis differre videntur, quia omnes uno ore de eorum utilitate & Priſci homines & Neoterici conſentiunt? Minime gentium mehercule, eoſdem enim fines utraque ætas ſibi in praxi propoſuit. Quocirca conſequimur, curandi Conſilia necnon Remedia, quibus uſi ſunt, in diverſis his Medicinæ ſeculis prorſus eadem exſtitiſſe.

Illud vero a nobis jure agnoſcendum puto, rationem prudentiamque in *Veterum* Praxi mul-

to magis conſpicuam, quam in *Neotericis* eluxiſſe. Ii enim ſibi & ſuis, quas fingebant, Hypotheſibus conſtiterunt; Hi vero eandem omnino *Praxin* a Majoribus ſuis traditam inierunt, *Principia* a Majoribus poſita turpiter obliviſcentes. At vero ſi infirma illa, quibus recens Praxis nititur, Fundamenta ſeorſim ponerentur, tum quidem Remedia antiquitus laudata ſuas vires intaminatas conſervarent. Purgantia enim & Duiretica cauſam, ut adminiſtrentur, juſtiorem nullam habent, quam quod ad acrem Humorem ſubigendum quam maxime accommodentur.

Atque quidem ſi *Horum* vires & facultates ingentibus ijs, in quæ ingreſſi ſumus, votis reſpondiſſent, eſſet profecto, cur *Recentes* in *Veterum* prudentiam æquo animo incumberent, neque a præceptionibus, quas ij dederunt, ſtolide recedentes, neque a fama, quam meruerunt, invide decerpentes.

Cum autem hæc Pharmaca aliquando multum juvaminis ad ægrotos, nihil aliquando, aliquando etiam plurimum detrimenti attulerint; proximum erit, quatenus & quas ob cauſas hæc locum habent in Curatione *Gonorrhœæ,* gnaviter exponere; ut Regio illa, ex qua Tela quaſi iſta, quæ concidunt ſpes noſtras, proveniant, explorata habeatur.

CAP.

CAP. III.

SECT. I.

De Purgantibus Pharmacis, quæ in Gonorrhœæ *Curatione verſantur; deque Formulis quibuſdam eorum ſelectiſſimis.*

ILlud equidem nemo unquam ſibi aſſumpſit, ut *Purgantia* ad ipſum acrem *Gonorrhœæ* ſpiritum domandum valere dicat: omnis igitur eorum utilitas in eo eſt ſita, quod ad Contagem foras protrudendam quodammodo accommodentur. Partes vero, quas aut in Effluxu ſanando aut promovendo *Cathartica* agant, manifeſtas magis, & in medio poſitas fore exiſtimo, ſi generales *Catharticorum* facultates accuratius paulo expoſuerim.

Atque equidem omnes *Purgantium* Pharmacorum vires in eo prorſus conſiſtunt, quod vel ſecretiones ex Inteſtinorum glandulis profectas majorem in modum promoveant, vel Fibras eorum nervas ſtimulatione quadam convellant; ab horum uno aut utroque modo ingentes crebro Evacuationes excitantur: adeo ut veriſimillimum ſit, mutationes, quas in ſolidas fluidaſque Corporis partes *Purgantia* moliuntur, univerſas aut a ſecretionis provectione, aut a diuturno gravium evacuationum curſu atque impetu, aut a virtute ſtimulativa proficiſci.

Hinc quoque, quod obiter notari poteſt, pro-

profluit Ratio, cur ex hoc Remediorum genere nonnulla, quæ, ſi intus ſint aſſumpta, gravem aliquando Hæmorrhagiam excitant, extrinſecus admota fluentem ſanguinem ſiſtunt: hanc ſcilicet ob cauſam, quoniam ſtimulandi facultas, ſi forte modum quendam ſuperet, induit quoque facultatem cauſticam. Sed ut eo, unde paululum digreſſi ſumus, revertamur, aut nimia (ut ſupra annuimus) Glandularum ſecretio aut Fibrarum ſtimulatio efficit, ut Fibræ Corporis nixu ſuo tonico & quaſi tenſitate ſpolientur.

Si igitur vulgares haſce *Purgantium* actiones ad rem in præſenti inſtitutam referamus, fructus omnis, quem ex eorum uſu *Gonorrhœa* percipit, facillime deducitur; qui in eo nimirum non ponitur, quod Pharmaca hæc Contagem ipſam opprimant, ſed quod ad quorundam Corporum validorum temperiem ita præſto ſint, ut Materiam omnem virulentam foras projiciant. Atque equidem auxilia atque incommoda, quæ varius *Catharticorum* uſus affert ad naturalem Corporis conditionem, adeo perſpicua ſunt, ut de iis merito ne dubitare quiſquam poſſet. Quando enim ſanguis rarior per ſecretionem copioſam, fibreque tenſiores ſemper reddantur, tum profecto Excretoriis Ductibus mediocriter tantum dilatatis, Liquores moderato flumine profunduntur, atque Effluxus ſenſim & pedetentim langueſcens poſt veneni ſubactionem haud largus deprehenditur; è contra vero cum a *Purgantibus* Pharmacis labefactetur Sanguis, Fibrarum quoque in-

ten-

tenſio debilitari ſimul ſolet; ex quo fit, ut excretoriis Ductibus vehementer relaxatis, Effluxus non tantum undis copioſioribus, verum etiam ultra ſupremum (ſi ita dicam) Contagis diem aliquandiu profunditur. Utriuſque Generis exempla, & in curatione Fœminarum & Marium, maxime vero in Fœminarum *Gonorrhœa* proferri poſſunt.

Cum autem Materiæ Effluxus facultati *Purgantium* ſtimulativæ debeatur, cumque acer ſpiritus, qui (ut ſupra ſtatuimus) *Gonorrhœam* excitat, vim quoque ſtimulativam habeat, certo intelligimus Effluxum, ſi utriuſque ſtimulus jungatur, abundantiorem multo fore; quum vero hæc juncta Liquorum abundantia à vi quadam, quæ nihil vitii interim afferre poteſt, glomeratur; igitur hæc humorum Effuſio Contagem copia tandem vincet, quo pacto ad optatum finem a *Purgantibus* remediis *Gonorrhœa* perducitur. Quod ſi *Catharticorum* ſtimulus, ut aliquando accidit, adeo vehemens ſit, ut a magna humoris copia velocitateque excretorii ductus magnopere dilatentur, tum equidem virus citius extra promi, Effluxus vero diutius aliquanto produci ſolet.

Quæ omnia cum ita ſint, palam fit, *Cathartici* generis Medicamina ad *Gonorrhœæ* Medelam ordine directo non procedere. Hinc etiam quæ ſibi conſilia proponunt Medici, cum *Cathartica* adminiſtrentur, qualemque, ſi parum juvaminis afferatur, jacturam faciunt, aſſequimur; hinc inſuper intelligimus, quod *Purgantibus* Pharmacis in hoc morbo promiſcue uti non

non liceat : ex iis enim quædam acrimoniam, pariter atque Effluxus copiam, Inflammationem moleſtiſſimam, Penis conſtrinctionem, urinæque æſtum exaggerant; quædam a natura ſua comparantur, ut elaſticum excretoriorum Ductuum tenorem atterant & perfringant : Has autem *Purgantium* facultates malas cognoſcere, in hujus morbi curatione haud parvi momenti eſt.

Atque equidem (ut, quod mihi videtur, candidus dicam) ſtimulativam vim in *Purgantium* praxi tantam aliquando eſſe Experientia ipſa atteſtatur, ut *Gonorrhœam* multo citius, ſi nihil Medicinæ adſit, ad bonum exitum perventuram, quam ſi *Purgantia* adhibeantur, haud immerito exiſtiment. Quod ſiquis forte miretur, is mirari tandem deſinet, ſi Temporis ſpatia, quæ in *Gonorrhœæ* Curatione à celeberrimo *Sydenhamo* commendata ponuntur, cum iis, quæ ad eundem finem a *Natura* ſumuntur, ſedulo conferat.

Quando autem aliquid aliquando ad hunc morbum juvaminis a *Purgantibus* Pharmacis ferri, ea argumenta, quæ ſupra poſuimus, atque etiam communis Obſervatio teſtentur, æquum erit eorum nonnullas, quæ ab *Auctoribus* hac in re verſatiſſimis celebrantur, formulas ſubjungere.

Apozema.

℞. *Folior. Scrophular. aquatic.*
Senn. virent. ana dr. ij.
mittantur in Aq. bullient. lib. j. *& infundantur.*

Abi-

Ab igne remotam Colaturam hauriat duabus vel tribus vicibus.

℞. *Tamarindor.* unc. ij.
Aq. commun. lib. iv.
Coq. ad lib. iij.
In Colatura infunde per noctem.
Senn. mundat.
Semin. Coriand.
Liquirit. & Flor. Roſ. rubrar. ana dra. ij.
Colaturæ Cyathum hora ante paſtum ſumat.

Veſtligius, cui expurgare potius quam adſtringere mens eſt, hunc *Bolum* præſcribit.

Bolus.

℞ *Conſerv. fl. Malvæ.*
Pulver. Radic. Rhab. el. ana dr. j.
Terebint. Venet. ſcl. ij.
M. F. Bol. primo mane deglutiendus.

Eundem quoque ad finem *Apozema* hoc accommodatur.

Apozema.

℞. *Radic. Alth.* unc. ſſ.
Folior. Malvæ.
Biſmavæ ana M. ſſ.
Ficuum ping. unc. j.
Aq. Ebshamenſ. lib. ij.
Coquant. ad quartæ partis conſumptionem.
Colaturam hauriat communibus intervallis.

Sicuti autem in animis plurimorum hominum Opinio inveteraverit , *Mercurium* cum variis ejus præparationibus , tanquam Antidotum quoddam, *Venereo Morbo* occurrere , ideo plerique ſe , niſi ex his aliquantulum afferant , ad medelam nihil proficere arbitrantur : *Riverius* in prima ſua & ſecunda Obſervationum centuria hunc in modum dictitat.

Pilulæ.

℞. *Calomelan.*
Pilul. Goch. min. ana ſcl. j.
Syrup. de Spin. Cerv. q. ſ.
M. F. pil. v.

Eundem ad finem valent Pilulæ , quæ *Trium Diabolorum* nomen gerunt .

℞. *Trochiſc. Alhand.*
Diagrid. ana gran. iv.
Merc. ſublim. dulc. gran. viij.
Syrup. de Stœchad. q. ſ.
M. F. pil. iv.

℞. *Extract. Catholic.* dr. ß.
Panac. mercurial. gran. v.
Elixir. proprietat. q. ſ.
M. F. pil. v.

Cum hujus generis Pilulis *Turbith. Minerale* , *Præcipitatum viride* (ſeu *Lacertus viridis*) necnon *Album Præcipitatum* miſceri debent . Univerſa verò , quæ ex *Mercurio* fiunt , Reme-

dia

dia perſæpè *Caſſiam* ſibi additam habent, quæ ſcilicet non tantum potio eſt leniter admodum purgativa, ſed etiam Veſicæ Urethræque ſaluberrima.

Bolus.

℞. *Caſſ. recenter extract.* unc.ſſ.
Pulver Rad. Rhabar. Elect. ſcr.ſſ.
Merc. d. ſcr.ſſ.
(*vel Lacerti virid. gr.* iv.)
M. F. Bolus mane deglutiendus.

Alexander Trajanus Caſſiam ſolitarie preberi docet, juxta hanc formam:

℞. *Floris Caſſiæ* unc.ij.
F. Bol. cum penidiis.
Capiat Æger mane, ſtatim ante cibum, ſingulis diebus ad quadrageſimum uſque, niſi Ventriculus interim perturbetur, aut Lues per totum ſparſa ſentiatur.

℞. *Ocul. Cancror. præpar.* dr.ſſ.
Gum. Guajac.
Diagrid. ana dr.iij.
Sal. Prunell.
Gum. Tragacanth. ana dr.j.
Calomelan. ſcr.ij.
Solution. Gum. T*ragac. q. ſ.*
M. F. pilulæ de ſingulis dr.x. *quarum quinque bis in die accipiat.*

℞. *Lacert. virid.* dr.ij.
Gum. Guajac.
Nativ. Stib. diaphoretic.ana dr.j.
Scammon. ſulphurat.
Aloes ſocotrin.ana dr.ſſ.
Solution.Gummi Tracaganth. q. ſ.
M.F. pilularum Maſſa.
De cujus ſingulis dr.jſſ.*formantur pil.* xij.
Harum IV. *primo mane & hora ſomni ſumat.*

Aliæ innumeræ variæque formulæ ab *Authoribus* excerpi poſſunt. Quæ vero ſupra cumulavimus ſatis multa ſunt, utpote quæ ex optimorum & in *Lue Venerea* exercitatiſſimorum Medicorum mentibus hauriuntur.

SECT. II.

De Juvamine atque Damno, quod ad Gonorrhœam *curandam afferunt Adſtringentia Medicamina.*

QUemadmodum Contagis exportatio Medicis argumento fuit, ut *Cathartica* adhibeantur, ingens igitur, quæ ab ijs nunquam cieri ſolet, Effluxus copia Reſtringentium Medicaminum neceſſitatem induxit; ſicut inſuper *Purgantium* facultates (utcumque magna & ſpecioſa primo intuitu polliceri videbantur) in varias juſtaſque reprehenſiones incurrerent, ita Adſtringentia quoque Remedia,

niſi

niſi valde adſit prudentia, haud minorem etiam ſecum trahunt malorum turbam.

Quæ ſi ita ſint, haud injuria a plurimorum *Medicorum* voluntatibus diſſentio, qui hujus generis Medicamina adeo magni faciunt, ut non tantum ad ea, tanquam ſalutis perfugia, in univerſis Evacuationibus recurrant, ſed etiam tam immanes in hoc potiſſimum morbo doſes inſtaurant, perinde quaſi ex hac parte nimii nunquam eſſe poterimus. Neque tamen ego hæc ita intelligi velim, ut omnem Adſtringentium uſum a præſenti morbo depellam: graviſſimæ enim omnes Evacuationes comprimi ſine dubio & cohiberi ſemper debent, at mehercule huic fini Adſtringentia nonnunquam non inſerviunt.

Enimverò ſæpe in Evacuationibus magnis fieri poteſt, ut tantarum ſtragum cauſa urgeatur potius ab ijs, quam caſtigetur. Perverſus enim Reſtringentium uſus non tantum in *Gonorrhæa* cernitur, ſed in aliis quoque morbis, in quibus hæc magni æſtimantur, Hæmorhagiis nimirum, & alvi Profluviis ſe ſenſibus reddit manifeſtum; in quibus omnibus Adſtringentia non reprehenduntur, quod nihil poſſint, ſed quod eorum vires perperam exercitæ, quam quorum Curationi ſtudemus, graviores ſæpe morbos inducant. Quicquid igitur eſt in ijs boni depromere, quicquid etiam mali id propulſare, acerrimam noſtram curam diligentiamque deſiderat. Sed ut veram, quam ad *Gonorrhæam* afferunt Reſtringentia, utilitatem aſſequamur, ſat erit vulgares eorum facultates

notare, quæ in eo ſcilicet ſunt conſtitutæ, quod immane aliquod Liquoris profluvium cohiberent, ne foras emitteretur.

Hoc autem Opus aut à maſſa Humorum conſtipanda perficitur, quo pacto Latex e Ductibus effundi non ſine difficultate atque expediri queat; aut Canales ipſos ita afficiendo, ut quoddam quaſi repagulum, quo contentus Humor intus reprimitur, ibidem injici videretur: hanc vero eſſe præcipuam Adſtringentium provinciam, ex actualibus potentialibuſque Cauterizationibus, ex Conſuturis & ſimilibus Methodis liquet, quæ, etſi forte in varias agendi quaſi ſemitas irent, eundem tamen ſibi finem & veluti metam proponunt.

Adſtringentia Remedia præclarum uſum habent, ſi totam Humorum maſſam aut unius tantum Canalis rivulum conſtipare geſtiamus: quippe quæ excretoriorum Ductuum relaxationem non modo, cum facta ſit, corrigere, ſed ne fieret, prohibere poſſunt; necnon ad pravam ſanguinis conditionem, ſive ex *Purgantium* Pharmacorum praxi, ſive ex mala ægroti criſi profectam, emendandam adeo valent, ut ingens Humorum torrens brevi comprimeretur,

Cor. 1. Ex hac Adſtringentium Hiſtoria palam efficitur, ea non poſſe Liquores, qui in Receptaculis ſervantur, vehementer afficere. Quamobrem ſi ex *Proſtatis* (ut vulgo creditur) & *Vaſculis Seminalibus Gonorrhææ* materia profluxerit, hujus generis remedia utilitatem nullam habuiſſent.

Cor. 2.

Cor. 2. Hinc inſuper intelligimus rationem, qua Fluor vitioſus, ab Adſtringentibus Pharmacis repreſſus, in ſanguinem revertitur, ſuumque ibi venenum ſpargens *Veneream Luem* inducit; quæ, ſi ſuppreſſio fluminis præmature, ſi penitus, ſi partim tantum fieret, varios atrocitatis gradus excipiet: multo enim vehementiora, ſi penitus, quam ſi partim ſupprimatur, pericula imminebunt. Etſi vero omnibus ſuis Contagii aculeis *Gonorrhœa* ſpoliaretur, nihilominus ſi adſtringentium vires, cum Effluxus nondum ſatis deferbuerit, veſiculas obſerarent, liquores haud ultra, quam ab Excretoriis ductibus capi poſſunt, intus retinentur; poſtea enim diſrupto quaſi aggere præcipites dantur, tantiſque ſubito rotantur fluminibus, quanta per totum unius diei ſpatium in *Gonorrhœa* plerumque emittuntur. Hinc igitur colligimus Canales excretorios, ſi nimia Adſtringentium copia admoveatur, adeo immanem aliquando relaxationem pati, ut, tenore ſuo naturali haud facile recuperato, graviſſimæ Recidivationes inferantur. E contrario autem Reſtringentia, quæ fortia admodum ſunt, quæque iteratis vicibus adhibentur, non modo morbificum hunc Liquorem, ſed etiam naturalia Lacunarum flumina, adeo valide cohibent, ut Urethra, viſcoſo ſuo integumento orbata, gravi ſeminis & Urinæ acredini ſubjiciatur: unde fit, ut multos poſt *Gonorrhœæ* medelam annos Urinæ ardor nonnunquam perſeveraverit.

Bernardinus Tomitanus, poſtquam tritiſſimum Adſtringentium intempeſtive adhibito-

rum exemplum tradiderit, hæc, quæ ſequuntur, cum Tempus recte ferat, ad uſum commendat, *Thus* nimirum & *Maſtichen* & *Corallium* & *gummi Tragacanthæ*

Demonſtrato, quantum ad *Gonorrhœam* valeant Adſtringentia, necnon quæ Temporum ratio haberi, qualeſque doſes adhiberi debent, ſi omne Venereæ Luis periculum propulſare ſperemus, ſelectiores eorum formulas reliquum eſt ut attexamus.

Pulveres.

℞. *Croci mart. adſtringent.* ſcr. iv.
Oſſis Sepiæ.
Succin.
Coral. utriuſque.
Ebor. ana ſcr. ij.
M. F. Pulvis, cujus dr. ſſ. *exhibeatur bis in die.*

℞. *Folior. Menth.*
Mum.
Coral. rub.
Agni caſt.
Carabe ana dr. ij.
M. Pulv. Hujus dr. j. *ex Ovo tremulo primo mane deglutiat.*

℞. *Magiſter. Oſſ. ſep.* dr. ſſ.
Pulver. Roſar. rubrar. ſcr. j.
M. pro unica doſi.

Claud. Deodatus Saccharum Saturni mire prædicat.

Ele-

Electuarium.

℞. *Semin. Lactuc.*
Agni caſt.
Sang. Dracon.
Myrrh.
Oc. Canc. præpar.
Terr. ſigillat.
Irid. ana dr. ij.
Conſ. Roſar. rub. unc. ſſ.
Syrup. Menth. q. ſ.
M. F. Opiata, de qua magnitudinem Nuc. Moſchatæ major. bis vel ter in die accipiat.

Bolus.

℞. *Maſtich.*
Coral. rub. præpar.
Succin. alb.
Sach. Saturn. ana gr. xv.
Conſerv. Cynosbat. q. ſ.
M. F. Bol. ij *quorum unum hora ſomni capiat, alterum proximo mane.*

Hauſtus.

Cl. Mouſſet hunc hauſtum habet.

℞. *Summ. cum florib. ſalv. rub. ana M.* j.
Mulge deſuper lac vaccinum. Infund. per noctem. Colaturæ addant. pulveres Tiribinth. coctæ, ſuccin. & nuc. moſchatæ ana ſcr. j.
Quem hauriat mane, præparetur ſimilis Doſis, ut veſperi propinet.

Apo-

Apozema.

℞. *Radic. Conſolid. major.* unc. j.
Plantagin.
Equiſet.
Bellid. minor.
Polygon. ana M. j.
Acitoſ. M. j. ſſ.
Semin. Plantagin. dr. j.
Acetoſ.
Malv. ana unc. ſſ.
Fl. Roſar. rub. pug. 1.
U*var. Paſſar.* unc. ſſ.
Glycirrhiz. dr. iij.
Coq. in Aq. pint. x.
Colaturæ add.
Syrup. Portulac.
Myrtin. ana unc. j. ſſ.
M. F. Apozema pro tribus Doſib.

Pillulæ.

℞. *Semin. AlKeKeng.*
Quatuor Frigid. major.
Papav. albi.
Lactuc.
Plantagin. ana unc. ſſ.
Rhab. elect. dr. ij.
Maſtich. dr. jſſ.
Gum. Arabic.
Bol. Armen.
Succin.
Tragacanth.

Amy-

Amyli ana dr. j.
Semin. Agni caſt.
Roſ. rubrar. ana dr.ſſ.
Solution. Gum. Tragacanth. q. ſ. F. pilular. Maſſa.

℞. *Oculor. Cancror. præpar.* unc.ſſ.
Gum. Guajaci dr.ij.
Sperm. Cet. dr.jſſ.
Sal. Prunel.
Gum. Tragacant. ana dr.j.
Bezoart. Mineral.
Camphor.
Balſ. Capyv.
Mercur. dulc. ana ſcr.ij.
Balſam. ſulph. aniſat. ſcr.j.
Ol. ſabin. gutt. x.
M. & optime ſubigantur ſolutione Gummi Tragacanth. in pilular. Maſſam; de cujus ſingulis Drach. formentur pil. XIV.
Harum IV. *primo mane & hora ſomni ſumat.*

℞. *Croci Mart. adſtrigent.* ſcr.ij.
Trochiſcor. de Carabe dr.j.
Oſſis ſepiæ præp. ſcr.j.
Sacch. Saturni gran. XV.
Syrup. de Nymph. q. ſ.
ut F. pilulæ Ciceris magnitudine.

℞. *Gum. Arabic.*
Tragacanth.
Carab.

Mum.

Mum.
Bol. armen. ana dr.j.
Syr. de Roſ. ſicc. q. ſ.
M.F.pilular.Maſſa,de qua capiat ſcl.j.
ſingulis diebus mane.

Injectiones.

℞. *Siliquar. Fabar. Cineres.*
Aq. Plantagin. q. ſ.
M. & injiciantur.

℞. *Vin. rubr.*
Aq. Symphit. ana unc.v.
Folior. ſcord. M. j.
In his infund. per noctem Granor. Juniper contuſor. dr.iij.
Bol. Armeni alcoholizat. unc.ſſ.
Bulliant leniter mane.Filtretur liquor, & injicito.

℞. *Virid. æris* dr.ſſ.
Aq. fontan. lib. ii.
Stent ſimul,quouſque coloretur aqua.Decanta, & diſſolve Mercur. meteorizati gr. iij.
Filtra pro Injectione.

℞. *Aq. Plantagin.* lib. ſſ.
Dracon.mitigati in pollinem redact. lib.ij.
M. in Phiala, & agita. Vice Dracon. addi poteſt ſal Saturni.

℞. *Aq.*

℞. *Aq. Plantagin.* unc. v.
Vitrioli rom. dr. ſſ.
Croci Mart. adſtringent. ſcl. ij.
M. & Filtra. Liquor. eſt rubicundus.

℞. *Lapid. medicamentoſ. Crollii* dr. ſſ.
Aq. Roſar. rubr. lib. ſſ.
M. & elvat Urethram ope Syringæ.

SECT. III.

De Medicamentis Balſamicis.

QUando *Medici*, frequenti uſu docti, Adſtringentium praxin ad *Gonorrhœam* nihil certi, multum ſæpe periculi, afferre deprehendiſſent, idcirco ad alia alterius (ut videbatur) generis remedia impulſi fuerunt, quippe cum exiſtimaſſent materiam *GonorrhϾ* ex pure quodam conflari, itaque Medicamentorum, quæ ad cuticulam Ulceri obducendam commode admoventur, quæque ideo *Sanativa* dicuntur, periculum fecerunt, haud dubitantes, quin eundem fructum, quem cætera Ulcera ex iis perceperunt, in *GonorrhϾ* quoque Ulcera redundaturum ſpectat.

Quod ſi facultates Balſamicorum, quæ hac in parte adminiſtrantur, attento animo excipiamus, eventum, ac ſi extrinſecus admoveantur, longe alium eſſe intelligemus. Cauſa vero nimirum eſt, quod Digeſtio nulla antecedat: *GonorrhϾ* autem materia, paulo licet albidior, mollior tamen & lenior nequaquam fit, ſed è con-

contra craſſior multo, quam quando Balſamica exterius apponantur, & tenacior efficitur: & ut uno verbo rem complectar; vires, quas Balſamica exerunt, haud multum ſunt a prædictis adſtringentibus abhorrentes.

Quæ omnia ſi ita ſint, dubium eſſe non poteſt, quin facultates, quæ ad hoc genere Medicaminum exercentur, longe diverſam ab ea, quam adhuc habuerunt, explicandi rationem, poſtularent.

Quippe cum *Genorrhææ* materia ex Pure non, conſtituatur, cumque inſuper Balſamica remedia munia ab iis, quæ peragunt in vulnere ſanando, plane diverſa moliantur, certo intelligimus, quicquid emolumenti affertur, illud nullo modo a vi Sanativa promanare. E regione igitur, quando hujuſmodi Pharmaca eandem, qua ad *Gonorrhæam* Adſtringentiam utuntur, ſupprimendi viam muniant, atque in eadem prorſus Recidivationum pericula incurrant, æquum erit, ut in eundem numerum poſthac adſcriberentur.

Adhæc quoque (quod magni momenti eſt) prætermitti non debet, Balſamica Medicamina in Adſtringentia, quæ præclarum uſum habent, poſſe immutari.

Si enim Sulphur eorum & oleoſitas (quod per coctionem in aqua communi fieri poteſt) detrahatur, vis nihilominus Adſtringens intemerata ſupereſt, & ad *Genorrhææ* medelam, haud male adminiſtratur. Hoc autem ſenſibus manifeſtum erit, ſi *Terebinthinam* elixemus. Hæc enim, quæ præ cæteris eminet in facul-

tate

tate Digeſtiva, quicquid Balſamici continet illud omne coquendo exuit, atque Reſtringentis Pharmaci officio, ſive intus accepta ſit, ſeu exterius admota, adeo valide perfungitur, ut Medici quamplurimi puræ *Terebinthinæ* ejus Pulverem anteferentes cum bono eventu eam adhibeant ad *Gonorrheam*, poſtquam Balſamica facultas nihil profeciſſet.

Reliquum eſt ut optimas quaſdam Balſamicorum formulas (ut ſupra) ſeorſim apponamus: Porro quaſdam Purgantium, Adſtringentium, & Balſamicorum conjunctim præbendas addemus; pro certo enim capimus, quod hæc Remedia auxilium ſibi adjungunt, quando rem inter ſe communicent; vel (ut legitur.)

Quæ non proſunt ſingula, multa juvant.

Miſturæ albæ.

℞. *Terebinth. optim.* unc. j.
Vitellum Ovi.
M. in Mortario, dein adde Aq. Agrimon. lib. j.
Ponatur Miſtura per noctem in Baln. Mar.
Adjice mane ſucci Limon. unc. iij.
Sacch. albiſſ. q. ſ.
ad gratiam conciliandam.

Eodem quoque modo Miſture ex *Opobalſamo*, *Copayvi*, ſive *Peruviano*, cum proprio vehiculo, confici poſſunt.

℞. *Aq.*

℞. *Aq. Calc.* lib. j.
Opobalſ. Copayv. vel Peruvian. dr. j.
Ovi vitelli auxilio F. Miſtura alba.
Hujus vel præcedentis Cochlear. iij.
capiat ter in die.

℞. *Opobalſ. gutt.* xxx. *Cap. cum Sacch. albiſſ.*

Bolus.

℞. *Rhabarb. toſt.*
Nuc. moſchat. toſt.
Balſ. Tolut. ana gr. xv.
Sacch. Saturni gr. vj.
Tereb. Venet. q. ſ.
M. F. Bol. Mane & hora ſomni ſumendus.

℞. *Caſſiæ rec. extr.*
Terb. Ven. ana ſcr. ij.
Merc. dulc. ſcr. ſſ.
M. F. Bolus mane deglutiendus.

℞. *Tereb. Ven.* dr. ijſſ.
Dracon. mitigat. gr. x.
M. F. Bol. Obeliis. involvendus, ut alternis exhibeatur diebus.

Elec.

Electuarium.

℞. *Pulp. Caſſiæ rec. extr.* dr.ij.
Balſ. Capyv. unc.j.
Merc. dulc.
Ocul. Cancr. præpar.
Sal. Prunell. ana dr.j.
Sal. volatil. ſuccin. ſcr. IV.
Syr. de Alth. Fernelii q. ſ.
M. F. Conditum, de quo capiat magnitudinem Nuc. moſchatæ majoris bis, vel ter in die.

Superius hoc Electuarium inter *Medicos Belgicos* longo in uſu fuit: atque in Praxi Chymiatrica rationali, in Cap. de *Gonorrhœa* pag. 115. locum habet, idemque prorſus eſt cum eo, quod *D. VValus* apud nos adhibuit, & ſuum etiam nomen tradidit.

℞. *Electuar. lenitiv.* unc.ij.
Balſam. Capyv. dr.vj.
Oculor. Cancr. præpar. dr.iij.
Nuc. moſchat. raſ.
Sal. prunell. ana dr. ij.
Merc. virid. ſcr. IV.
M. F. Eluctuar.

℞. *Sang. Dracon.*
Amyli ana dr.iij.
Opobalſami unc.ſſ.
Terebinth. Cypriæ dr. jſſ.
M. Saccharo apud Piſtores ſaccharios fur-

no incruſtetur, & capiat ex eodem ter vel quater in die.

Pilulæ.

℞. *Mumiæ.*
Sang. Dracon.
Terebinth. coct.
Coral. r. præpar. ana. ſcr. ij.
Balſ. Peruvian. q. ſ.
M. F. pilul. Maſſa, de cujus ſingulis drach. formentur Pilul. x. *Cap.* IV. *omni Veſperi & multo mane.*

℞. *Ocul. Cancror. præpar.* dr. j.
Gum. Guajac. nativ.
Balſ. Tolutani ana ſcr. ij.
Terebinth. Cypriæ q. ſ.
ut redigantur in formam pilularum mediocris magnitudinis.

SECT. IV.

De Remediis Diureticis.

VEteres Recentioreſque *Medici* Diureticorum Pharmacorum praxin adeo acriter ſibi propoſuerunt ad largiorem Urinæ copiam excitandam, ut in hoc conſilio, etiamſi *Gonorrhœæ* eventus votis ſuis non reſponderit, perſtare, atque ex hoc Medicaminum genere interdum periculoſiſſima, quoniam Lotii undas certius & vehementius promoveant, adminiſtrare conſueverint. At vero plurimum Lotii, ſive una ſive re-

repetita vice redderetur, *Gonorrhœam* ita afficere non poteſt, ut acrimoniam corrigat, aut Ductum, a quibus Fluor proficiſcitur, tenorem protegat & conſervet, neque equidem ad Naturam ipſam ita præſto eſſe queat, ut Effluxum promovendo Contagem projiciat.

Sed rem paulo altius repetamus, & quid commodi ad hunc morbum magna Urinæ copia crebro iterata afferret, videamus.

Atque imprimis illud apparet, Liquorem ex Veſica profluentem partes, quas tranſgreditur, abluere, quam ob cauſam modica Urinæ reddito crebro repetita multo commodius ablutionem iſtam, quam largiſſima copia, ſi una & eadem opera effunderetur, promovebit.

Sicuti autem Urina ob eam tantum rationem commovetur, ut abluat Canalem ſuum, ita pro certo habemus, totam Diureticorum praxin ad *Gonorrhœæ* virus corrigendum nequaquam valere, ſed in ablutione ſola collocari. Nempe hujus morbi materia, cum ab Urethræ lateribus jugiter ſit excuſſa vi horum Pharmacorum, neque retrorſum ferri, cum quantitas augeatur, nec novam acredinem adipiſci poteſt; quod futurum eſſet, ſi diuturnius in jis locis commorandi diverſorium haberet: hæc itaque operatio una eademque eſt, ac ſi Ulcus aqua viva elueremus, cujus uſus, ſi commode admoveri poſſit, eundem plane eventum, ac Diuretica Medicamina, ad hunc Morbum eſſet allaturus.

Hinc itaque perſpicuum eſt, *Gonorrhœæ* medelam, quæ Diureticorum ope comparatur, ipſi

ipſi *Medicorum* , a quibus ad hunc finem adhibentur , Hypotheſi repugnare . Cum enim a copioſis his, quæ cientur , Urinæ undis partes, præter *Urethram* , irrigari nullæ poſſunt ſedem *Gonorrhœæ* in *Urethra* poni neceſſe eſt, cujus ſuſpicionem nullam habuerunt . Hinc præterea ratio repetitur , cur diuretica nullius momenti ſunt ad *Gonorrhœam* fœminarum, quoniam ſedes ejus adeo alte in Illarum Vagina conſtituitur , ut ab Urinæ fluminibus attingi nequeat.

Hæc vero omnia in clariorem lucem proferentur , ſi paulo acriori animo rem intuebimur: Etiamſi enim quiſpiam *Proſtatas* unam tantummodo Glandulam conflare , aut in duas diffindi oportere judicaverit ; quomodocumque tamen res iſta ſeſe habeat , certe Liquor in Ductibus earum ſecretus ablui ab Urina prius non poteſt , quam aut tota moles *Proſtatarum* aut ſaltem Ductuum Valvæ corroſione quadam expugnentur . Quod ſi quis forte concedat, is tamen perfractam *Proſtatarum* compaginem a ſola ablutione renovare nunquam exiſtimaverit , quam ob cauſam ablutio hæc , ſi admoveri poſſit , incaſſum admovebitur . Sin autem è contra in *Proſtatis* eſſet ſita *Gonorrhœæ* ſedes , quæ contagii ſui undas in Urethram jugiter exoneret , nemo tamen *Proſtratas* ab Urina emendari arbitrabitur , qui cognoſcit nullum inter Urinam & Proſtatarum laticem commeatum intercedere , ex quibus omnibus efficitur, Diuretica remedia (ſecundum eorum Theoriam) huic Morbo occurrere non poſſe ; quod

Ex-

Experientiæ ipſi adverſatur.

Idem vero Argumentum, ſi ad *Veſiculas Seminales* referatur, multo plus virium obtinebit, quoniam ſemen haud magis ab Urina attingi, quam *Proſtatarum* liquor, poteſt. Accedit etiam, quod cum Urina ne externam quidem Veſicularum harum faciem tangat, pro certo habemus, *Gonorrhœæ* medelam, quæ Diureticorum auxilio perficitur, in nullis locis, multo minus in *Vaſculis Seminalibus* acredinem corrigendo comparari.

Jam vero ad incommoda, quæ ab immoderata Diureticorum praxi afferuntur, ſignificanda proficiſcimur, quæ adeo multa, adeoque gravia ſunt, ut Medici a nimio eorum uſu merito deterreantur. *Hippocrates* ingentem jacturam, in quam Homines, (ſi pariter æqualiterque in hiemis atque in æſtatis tempore perpotaretur) incurrunt, perſpectam habens vult, ut curæ ſit, ne multum in hieme biberetur. At vero hujuſmodi incommodum, in eo tantum (ut a Medicina Statica confirmari poteſt) eſt collocatum, quod nimium Lotii exinde cieatur; unde Morbi quamplurimi exoriuntur. Sicuti autem Inſtituti noſtri ratio poſtulat, ut Mala, quæ ex jugi ingentique Urinæ copia *Gonorrhœa* percipit, potiſſimum notarem; ideo unum tantummodo alterius generis Morbum, ab *Hippocrate* memoratum, ab aliis Medicis pæne omnibus prætermiſſum, adjungam, qui crebro cadit ſub praxin Medicam, qui dolores vegetos ſecum fert, & qui perſæpe pro Lithiaſi (non ſine magno errore) accipitur. Diſer-

tam hujus deſcriptionem in *Libro Illius de Natura hominis* τετέων Κυστις ψωρία &c. reperimus, quem locum ſi quiſquam cum iis, *quæ in Libro de Morbis internis* leguntur, ſedulo conferat, is inobſervati hujus & perquam moleſti Morbi originem aſſequetur: ſed ad propoſitum redeamus. Longus Diureticorum uſus cauſa eſt, ut non modo fœdum *Gonorrhϖæ* virus, verum etiam Mucus ille, qui a Natura (quod ſupra docuimus) comparatur ut Urethram oblinat, eodem tempore expellatur, unde fit ut hæc *Fiſtula* ab Urinæ Seminiſque acrimonia adeo gravem in modum ſtimuletur, ut immanes Dolorum inſultus per totum Urethræ canalem ad ipſum etiam Veſicæ collum aliquando producentur. Adde quoque, quod ſtimulatio hæc, cum aliquandiu ſævierit, ad partem tali irritatione confectam (quod cum de Glandis & Fræni Inflammatione ageretur, ſatis enucleavimus) ingentem Humorum affluxum adducit, qui Urethræ membranas incraſſans facit, ut Meatus in peranguſtam conditionem redigatur; unde acerrima Migendi moleſtia, & totalis interdum Urinæ ſuppreſſio exoritur; adeo ut ad Balnea confugiendi propter Inflammationem mitigandam, & *Perinæi* etiam pungendi, ſi Balneatio nihil profecerit, ſæpenumero neceſſitas imponiatur. Porro notatu digniſſimum eſt, atrociſſimam hanc *Urethræ Proſtatarumque* moleſtiam in nulla Pharmacorum methodo, præter Diureticam, quæ inter Galliæ Medicos maxime diligitur, reperiri.

Sed quidem mihi cum animo meo reputanti Even-

Eventus dubios, quos praxis Diuretica ſortita eſt, Nemo hiſce jacturis præſtantius, quam diligentiſſimus ſagaciſſimuſque M. *Ronjat*, occurriſſe videtur. Illius autem felicitas magis ipſius hominis ingenio, quam ulli hujus methodi excellentiæ, adſcribi debet.

Pulveres.

℞. *Terebinth. coct.*
Cryſtall. mineral.
N. Moſchat. pulverat. ana ſcr. j.
M. F. Pulver. Doſ. iij
quos unico die capiat.

℞. *Cremor. Tart.*
Sal. Abſynth.
Coral. ad albedin. calcinat.
Virg. aur. ana ſcr. j.
M. F. Doſ. iij. *unico ſimiliter die ſumendæ.*

Bolus.

℞. *Marg. præpar.*
Pulv. Radic. Alth. ana dr. ſſ.
Nit. præpar. ſcr. j.
Conſerv. flor. Malv. q. ſ.
M. F. Bol. duo, quorum unum hora ſomni, alterum proximo mane deglutiat.

Apozema.

℞. *Radic. Alth.*

Petroſelin. ana dr.vj.
*Gramin.*unc.ſſ.
*Uvar. paſſar. exacinat.*dr.vj.
Coq. optime riteque in Aq. commun. ſ. q. ad lib.ij.
In Calatura ſolve Nitri purificati lib.ſſ.
M. F. Apoz.

℞. *Decoct. Capillor. Vener.*
Agrimon.
Hepatic.
Plantagin.
Ceterach. ana unc.v.
*Syrup. de ſucco violar.*dr.ij.
M.F. ptiſana.

℞. *Decoct. de* v. *Radic. aperient.* lib.ij.
*Cryſtall. min.*dr.ij.
Sacch. albiſſ. dr.v.
M.

Riverius cum multis aliis in aquæ illius, quæ *Quercetani* nomen gerit, laudibus conſentit.

℞. *Menth. ſicc.* unc.iij.
Semin. Lactuc.
Rut.
Agni Caſt. ana unc.ijſſ.
Ireos florent. unc.ij.
*Fol. Dictamni Cretic.*dr.x.
*Sacch. optim.*lib.ij.
*Pulveriſatis adde Terebinth. venet.*unc.v.
Vin.

Vin. alb. generoſ. unc. xxx.
Deſtillent. vaſe vitreo, Balneo vaporoſo.

Chymici Tincturam quandam ex vermibus menſe Majo collectis confectam, & cum ſale Tartari commixtam, de qua viginti aut triginta guttæ ſimul capiantur, mirum in modum commendant, necnon Tincturam ex Juniperi baccis conflatam.

Tinctura.

℞. *Bacc. Juniper. maturar. & electar. q. v. Contund. & affuſa Aq. Saxifragiæ ſ. q. Digerantur. Hinc exprime, abſtrahendoque inſpiſſa ad Mellis conſiſtentiam. Hujus Mellis juniperini cohlear.* x. *Miſce cum aqu. vitæ Juniperinæ & digere, quo F. vel Tinctura vel Elixir Juniperinum.*

Electuarium.

℞. *Conſ. fl. Malv.* unc. j.
Symphit. unc. ſſ.
Radic. Ononid. pulverat. dr. iij.
Semin. Ruſc.
Bruſc. dr. ij.
Syrup. Alch. Fernel. q. ſ.
M. F. Opiata, de qua capiat. ſubinde Magnitudin. Nuc. Moſchat. major.

Poſtremum autem, alia ex Diuretica remediorum turba nonnulla in uſum venerunt, quæ non modo majorem Urinæ copiam excitant,

ſed

ſed etiam partes, quas tranſcurrunt, ſtimulatione quadam perſtringunt. Atque hæc equidem ad *Gonorrhœam* tollendam & ad colorem illius immutandum, quam Diuretica, quæ nulla vi ſtimulatrice imbuuntur, multo præſtantioris momenti eſſe exiſtimantur. Enimvero cum *Medici*, debilioribus Diureticis parum fauſte utentes, ad ea, quæ Urinam vehementius provocarent, ſeſe contuliſſent, in facultatem quoque quandam ſtimulativam inciderunt, quam ji non tantum *GonorrhϾ* nihil prodeſſe, ſed etiam officere arbitrabantur. E regione vero pro certo habemus, quicquid boni ad hunc morbum ex uſu Diureticorum defluxerit, illud omne nullo modo ad facultatem Diureticam, ſed ad virtutem ſtimulativam referri oportere. Quippe horum Medicaminum ſtimulus (quod ſupra de purgantibus Pharmacis dictum fuit) ad morbificos *GonorrhϾ* aculeos ſuperadditus, multo celeriorem, quam ſi a ſolo Naturæ impetu projiceretur, Contagis finem faciet.

Quando autem hic optatus Exitus a tam indirecta Methodo pariatur, non mirum eſt, quod Dolores acerrimi, aliaque, quæ conjecturæ duorum ſtimulorum vires ſuſcitare ſolent, graviſſima Symptomata exardeſcant. Unde fit, ut nonnulli, cum plane fuerint neſcii, quo pacto corrigi hæc Pharmaca & mitigari poſſent, eorum prius uſum, quam Morbus confectus atque ejectus ſit, intermittere cogerentur.

Illud equidem negari non poteſt, hoc genus diureticorum a quibuſdam, Miſtura cum Oleis,

leis, aliiſque mollibus Medicamentis facta, caſtigari ſolere. At vero hac caſtigatione virium adhibita, Remedium ſtatim ſuo ſtimulo quaſi caſtratur, unde nobilis ejus impetus repente flacceſcit, atque utilitas jugulatur.

Quando autem antedictæ Obſervationes Methodos quaſdam, quibus hæc medicamina moderemur, nobis proponunt, idcirco formulas recenſebo.

Pharmaca.

℞. *Cantharid. integrar.* ſcl. j.
Vin. Rhenani unc. iij.
Vel Sp. Vini tantundem. Infund. per aliquot dies, hinc filtra. Hujus Tincturæ cochleare miſceatur cum Cereviſiæ vel vini Cyatho, quem hauriat Æger. Proximis diebus augeatur cochleatim Doſis.

Hæc Methodus cum *Thoma Bartholino*, alium tamen ob finem, primo fuit communicata. Quo modo *Cantharides* præparantur, & quæ fuerunt hujus Tincturæ effecta, in *Epiſtolarum Centuriis* fuſe explicatur.

Cum vero hæc Tinctura vehementiſſimos Dolores, cruentam Urinam, aliaque moleſtiſſima Symptomata progignere comperta fuit, igitur cum *Oleo*, cum *Albi Verbaſci ſucco*, cum *Althææ Syrupo*, quæ omnia immanem illam malorum turbam temperent, commiſcetur.

Etſi autem hoc Remedium (ſicut res viſa eſt) magis ob bonam ſpem, quæ de illo erat,

quam

quam ob fructum ullum, qui capiebatur, maximis in laudibus aliquando atque deliciis fuit, ea tamen opinio haud diu permanſit, uſuſque ejus, aut propter dolores excitatos, aut propter vires Mixtionis additamento defalcatas, depoſitus atque abjectus fuit; donec *Recentiores* quidam illud præparationibus minus jucundis, eventu autem haud magis proſpero, corrigere & inſtaurare contenderunt. Methodus vero hæc *Neoterica* ſic ſe habet.

℞. *Spir. vini* unc. ix.
Rhabarb. el. dr. jſſ.
Cantharid. ſcl. ij.
Gum. Guajaci.
Coccinell.
Balſ. peruv. ana dr. j,
M. Elic. ſ. a. Tinctura.

℞. *Sp. vini* lib. j.
Cantharid. dr. j.
Rhab. el. dr. jſſ.
Gum. Luccæ dr. j.
Guajac. dr. ij.
Digerantur diebus tribus in B. M.

℞. *Rhabarb. el.* dr. jſſ.
Cantharid. dr. j.
Gum. Guajac.
Balſ. peruviani.
Coccinell. ana dr. ſſ.
Sp. Sal armoniac. unc. jſſ.
Sp. vini unc. ix.
M. F. ſ. a Tinct.

Hæ

Hæ quidem rationes nobis ſunt propoſitæ, ut offenſiones, quas affert *Cantharidum* Praxis, feliciter devitemus. At vero mehercule quam fœda, quam indefinita, (ne dicam quam maleſana) eſt hujuſmodi compoſitio? in qua, quæcunque ad *Gonorrhœæ* aut *Venereæ Luis* curationem unquam pertinuerunt, in unam quaſi maſſam univerſa congeruntur.

Sed ut hæc ingrata atque imperita Mixturarum inſtituta relinquam: non poſſum profecto quin adverterem *Priſcos* Medicos non tantum cum *Modernis* conveniſſe, quod *Gonorrhœam* a Diureticis & Purgantibus Pharmacis tolli credant, ſed etiam in ſtatuendis eorum formulis nequaquam a Recentibus ſuperatos fuiſſe. Accedit etiam, quod præſcriptiones multas ab *Hodiernis Recentibuſque* Medicis adhibitas cernere licet, quæ ſuis *Gonorrhœæ* hypotheſibus plane repugnantes, ad indicationes opinioneſque Veterum hominum quam optime accommodantur: adeo ut modernam Curandi rationem in plurimis rebus Empiricam prorſus eſſe jure optimo dicamus, utpote quod Praxis pendet ex fide *Veterum*, quorum Prudentia atque Conſilia interim exciderunt.

Illud equidem negari non poteſt, Medicamentorum genus, quæ ad immoderatum ſeminis effluxum coercendum *Specifica* olim habebantur, in *Gonorhœæ* curriculo ab Antiquis viris commendatum, atque ab iis, Mixtura cum Diureticis Purgantibuſque perſæpe facta, adminiſtratum fuiſſe. E regione vero ingentem Diureticarum Ptiſanarum *Specificis* hiſce refer-

tarum theſaurum inter Neotericos Authores, cumulari reperimus; quorum utilitatem ab ea, quam ſibi hi finxerunt, *Gonorrhææ* Theoria ſignificatam judicare nullo modo poſſumus.

Alexander Trajanus Petronius ad hunc ipſum finem *Agni Caſti Syrupum* moliebatur, qui, magna licet congeries ſit iſtiuſmodi Medicaminum, hodiernis diebus adeo parvi penditur, ut ne in Pharmacopoliis quidem audiatur. Hanc tamen præſcriptionem, tum quia præcipuum ſit hodiernarum Ptiſanarum fundamentum, tum quia proportio Medicaminum in quibuſdam Pharmacopæis perperam augeatur, atque in aliis ordo immutetur, operæ pretium erit ex antiquo ipſius fonte exhaurire.

℞. *Accipe Seminum Endiviæ,*
Lactucæ,
Portulacæ,
Cucubitæ,
Melonis ana dr.ij.
Pſyllii dr.j.
Flor. Nenupharis,
*Folior. Mentę ana M.*ſſ.
Seminum Rutę,
Canabis ana dr.ſſ.
Agni Caſti unc.iv.
Aquæ Coriandri, Decocti Lentium ana partes ęquales. Bulliant. ſ. a. poſtęa Colentur. Ex hoc Colato accipe lib.j.
Succi Limonum unc.ij.
Sacchari q. ſ.
M.F. Syrupus.

Tra-

Trajanus in hujus Syrupi ſubſidium *Camphoram* vocat *Electrum*, & *Nymphæam*, atque alia quædam *Specifica* ad ſemen cohibendum, quando igitur Recentiores remedia ejuſdem generis præſtituant ægrotis, originem Praxeos, a ſuis utique principiis adhorrentis, quis non deprehendit?

Hactenus *Veterum* atque *Recentiorum* Praxin, Indicationeſque, quibus innixa fuit; fideliter ſignificavimus: Rationes quoque, a quibus horum omnium Medicaminum vires exponuntur, atque ad *Gonorrhæam* referuntur, enodavimus: Unde non modo iſtius juvaminis, quod Pharmaca afferunt, cauſas conſequimur, ſed etiam qua ratione Symptomata gravem aliquando in modum ab iis urgeantur, atque ipſe Morbus in Luem Veneream vertatur, manifeſto intelligimus.

Quod ſi quis forte mihi vitio daret libertatem illam, qua & *Veteres Recenteſque* Medicos, Pharmacis ſuis parum perite & proſpere utentes, ſum proſecutus, is profecto reſipiſcet, ſi ſecum reputaverit ab hiſce cautionibus viam muniri ad depellenda pericula iſtorum Medicaminum, quorum incommoda à mille miſerorum hominum experientia poſſunt nimis confirmari. Sed quidem non eſt, ut Teſtimonia aliunde repetam, quam ex ipſis candidiſſimis ingenioſiſſimiſque harum Methodorum Inventoribus, qui jacturas, quas Secutores eorum aut non vident, aut data opera diſſimulant, palam profitentur: hæc verba ſunt *Petronii, in capite de Virulentæ Gonorrhææ curatione*: „ Itaque poſtquam

„ ne-

„ neque Medicamentis Alvum ducentibus obe-
„ divit, neque per Cutim, neque per alias Cor-
„ poris partes evacuantibus, &c. aliis modis,
„ aliiſque ingeniis inſiſtendum.

Jam vero procedimus ad optimas quaſdam rationes inveſtigandas, quibus Symptomata ſuperius memorata atrocitate ſua ſpolientur; Hæc enim negligi non debent, dum totius Morbi, a quo profluunt, Curationi præcipua diligentia ſtudeamus.

Prius vero quam hanc noſtam provinciam ſuſcepero, ſignificandum duco errorem, qui paſſim jactatur, *Gonorrhœam* ſcilicet Fœminarum diſtinctam quadam & peculiarem curandi methodum poſtulare.

Quandoquidem vero diverſam hujuſmodi tractationem, niſi in gravidis Mulieribus, quæ (ſicut omnes Medici norunt) a purgantibus Pharmacis removentur, nullam agnoſcerem, non eſt ut in hoc loco ulterius commorarer. Verum profecto eſt, Mulieres majori fortaſſis difficultate, quam Mares, ſanari. Uterque tamen Sexus eadem omnino deſiderat Curandi Inſtituta, ut ex iis, quæ & in Theoretica Practicaque hujus Operis parte dicta ſunt, manifeſtum efficitur.

CA.

CAP. III.

De Mingendi dolore mitigando.

GRaviſſimum dolorem, qui inter mingendum percipitur, ex eo prorſus commoveri, quod Lotii ſales Urethram prius a *Gonorrhœæ* acrimonia exeſam in curſu ſuo ſollicitent & pungant, ſupra intelleximus. Itaque Moleſtia tolli ſine dubio non poteſt, dum virus ibidem inſidere & ſævire perſeverat, è regione autem, morbo ad medelam vergente, Urinæ dolor utique defervеſcit. Cum vero hic Urinæ dolor non tantum ſemper plurimum moleſtiæ, ſed etiam, ſi perſtiterit, plurimum aliquando periculi afferat, neceſſe eſt ut aliquam hujus acredinis leniendæ rationem habeamus, anteaquam ſola *Gonorrhœa* Curatio penitus abſolvitur.

Hic dolor, niſi aut Urethram ita muniamus, ut acutis Urinæ ſalibus haud ſubjiceretur, aut ipſam Urinæ ſalſuginem auferamus, nequit relevari: illa quidem ratione, ſales Urethram rodere non poſſunt, hac vero, ſalſedo ipſa extinguitur, In priori profecto methodo Magiſtram Naturam intuemur & imitamur, quæ ejuſdem generis præſidio utens cavet, ne Urethra ſalſugine ſeminis aut lotij vellicetur.

Juvamen, quod ex hac parte miniſtratur, eo nomine eſt commodius, quoniam mollis Lacunarum liquor a *Gonorrhœæ* veneno vitiatus vertitur in adverſarium, & loca illa turpiter dive-

xat, quæ defendere debuiſſet. Sin autem Urinam viſcoſitate imbuerimus, aut Liquores viſcoſitate imbutos injecerimus, Urethra inde Muco quodam (tanquam a Natura ipſa) oblinita ab omni & Urinæ & Morbi acrimonia vindicabitur.

Alteram doloris leniendi intentionem aſſequemur; ſi vel præſtemus, quod Liquor in renibus ſeparatus haud multo ſale oneretur; vel quod ſalis particulæ inter ingentem aquearum partium numerum adeo diſpergantur, ut præ exiguitatate ſua Urethram lædere non potuerint. Prior hujus Conſilij pars utcunque factu ſit difficillima, tamen certi ſumus; ſalem in larga aquæ copia conjectum naturam ſuam propemodum exuere. Si igitur aqueam ſanguinis partem (nempe ſeroſam) vehementem in modum augeamus, tum ſal magnopere dilutus ſuos penitus ſtimulos amittet, & Urinæ æſtus relevabitur.

Hinc & a Coroll. 3. cauſam colligimus; cur *Gonorrhœa*, biduo triduove poſt quam eruperit, dolores Urinæ nullos concitaret.

Hic Urinæ æſtus, qui *Gonorrhœæ* plane Symptoma eſt, atque acrimoniæ comes, in hallucinationes plurimas Authores adduxit. Ii enim ad ardorem hunc mitigandum, quaſi morbi medela exinde foret comparata, ſua ſtudia contulerunt, plane ignari, *Gonorrhœam* ſi prius de medio ſuſtulerint, hunc iſtius ſatellitem cito ſubitoque periturum. Eorum profecto error ex eo nimirum defluxit, quod dolores inter mingendum excitatos à quodam Urinæ æſtu

pro-

proficiſci judicaverint, qui æſtus à veſicalis colli vaſculorumque ſeminalium Inflammatione, ſicut Inflammatio ab ipſa *Gonorrhœæ* cauſa, cieri credebatur. Quapropter omnis eorum ſolertia ad Inflammationis moderationem vocata fuit. Ex hac culpa tota ſimul Theoria & Praxis *Blenii*, aliorumque Authorum, exoriuntur. Quando autem hæc Hypotheſis, præter colligatam ſomniorum rerumque adumbratarum ſeriem, nihil complecti ſupra oſtenſa fuit ibidem haud longius immorarer, quam ut, in eorum Praxin quid Conferat Hypotheſis, videamus.

Illud negari non poteſt, quod Medicaminum eventus prudentiam horum *Medicorum* magnopere ſuperavit, qui per mille errores provecti in tolerabilem curandi methodum tandem inciderunt.

A falſo enim hoc Principio, *Inflammationes nimirum a Remediis actu frigidis tantummodo relevari*, factum eſt, quod in uſum quorundam Pharmacorum ſunt delapſi, quæ propter *Frigiditatem* ſuam largiorem Urinæ copiam promovebant; ex quibus quoque nonnulla, quando lenta atque viſcoſa fuerint, non ſolum Lotii ſales diluebant, verum & Urethram, præter ipſorum mentem, muco perfundebant. Fortunati profecto eſſent, ſi omnes eorum hallucinationes eundem exitum habuiſſent, tum quidem imprudentia exire, & in publicum emanare nunquam potuiſſet. At vero perverſus Phlebotomiæ uſus non modo Curationis ſpes illis univerſas præcidit, ſed etiam *Veneream Luem*,

ſicut ipſi confitentur, ſæpenumero induxit? Alii hujus generis errores non deſunt, qui & ipſos crebro clam ſunt, atque (quod beatius eſt) ab ægrotorum ſuorum ſenſibus removentur.

Hactenus Rationes, quibus Mingendi moleſtia mitigari poſſit, ex vera Theoria deduximus. Jam Pharmaca illa, quæ acerrimo huic dolori, ſive ex imperita tractatione, ſive ex *Gonorrhœa* ipſa profecto, occurrant, diligenter adhibebimus.

Pharmaca.

℞. *Sal. volatil. ſuccini* dr. j.
Sacch. Candiæ dr. ij.
M. F. Doſ. vj. *Harum unam accipiat ter in die cum Cyatho Tinct. Theæ, Cereviſiæ tepidæ, vel ſeri Lact.*

℞. *Cryſtall. mineral.* dr. ij.
F. Doſ. ij. *unico die ſumendæ cum hauſtu quorumlibet Liquorum prædictorum.*

℞. *Spec. Diatragacanth. frigid.* dr. j.
Sal. prunell. dr. ij.
M. F. Doſ. iv. *ſimiliter eodem die ſumendæ.*

℞. *Amygdalar. dulc. par.* viij.
Decoct. Hord. lib. ij.
F. ſ. a Emulſio, cui adde Sacch. albiſſ. q. ſ. ad gratiam. Hauriat tribus vel quatuor vicibus.

℞. Se-

℞. *Semin.* IV. *frigidor. major.* unc.j.
*Papaver.alb.*dr.ij.
Amygd.dulc. No. viij.
*Contund. ſenſim , affundendo Aq. Petroſelin.*lib.j.ſſ.
F. Emulſio Sacch. Candic edulcoranda.

℞. *Semin. Canabin.* unc.ſſ.
Amygdal. dulc.par. vj.
Aq. commun. lib.ij.
F. Emulſio , qua immiſceatur.
*Aq. Fol. Aurantior.*unc.j.
Hauriatque vicibus duabus.

℞. *Amygd. dulc. par.* IX.
Aq. Saxifrag. lib.ij.
F. ſ. a Emulſio , in qua diſſolve.
Gum. Arabici dr.iij.
M. & hauriat tribus vel quatuor vicibus.

℞. *Seri Lactis* lib.ſſ.
*Gum. Tragac.*dr.ij.
Solvatur Gummi & inijciatur Miſturæ.

℞ *Aq. Plantagin.* dr.x.
Trochiſc. albor. Rhaſ. dr.ſſ.
M. in uſum eundem.

℞. *Flor. Sambuci M.*j.
*Radic. Alth.*unc.ſſ.
Sem. Cydonior. dr.j.
Prep. ſ. a & decoq. in Aq. lib.j.ſſ.
Utatur Colatura.

℞. *Radic. Hyoſciami* unc.ſſ.
*Furfur. Siligin. M.*ſſ.
Sem. Lini contuſ. dr.ij.
Decoq. in Aq. Roſar. lib.ij.
Frigeſcant cooparta, Liquor poſtea colatus injiciatur.

℞. *Hord. commun.* unc.j.
Redic. Lilior. albor. unc.ſſ.
*Folior. Malv. M.*ſſ.
Semin. IV. *frigidor. maior.* unc.jſſ.
*Lamii albi pug.*ij.
Præparent. ſ. a & decoq. igne lento in Aq. Flor. Sambuc. lib.ij. *ad* un terz. *conſumptionem. Liquoris colati portio ſubinde per Siphonem injiciatur.*

Hujuſmodi Remedia non tantum ſe reddunt Theoriæ noſtræ conſentanea, ſed & uberrimos fructus in Praxi præbent: raro enim aut nunquam ſpes noſtras fallunt graviſſimi hujus doloris leniendi. Sed permulti (ut ſupra innuimus) *Authores*, cum dolorem hunc ex Inflammatione (quæ ab æſtu ſanguinis promota fuit) exoriri judicarent, ad venæ ſectionem confugerunt.

Jam vero utcunque Inflammationi, aut potius Virtuti ſtimulatrici, quæ Inflammationis cauſa eſt, hic dolor debeatur, profecto non eſt, ut de iſtius recreatione prius ſperemus, quam aut Urinæ ſales aut Contagis acrimonia tollerentur. Ad has autem Intentiones Phlebotomia (ut ab

even-

eventu confirmatur) proficere nullo modo poteſt, quippe quæ neque Balſamicam ullam neque Diureticam facultatem ſortitur. Quinetiam nonnulli ſunt, qui (ut jam docuimus) venæ ſectionem a *Lue Venerea* excipi ſæpenumero adverterunt. Intima quidem hujus calamitatis cauſa a revulſione illa (quæ phlebotomia perficitur) peti poteſt, quæ antiquis temporibus haud ignota fuit, in noſtris vero per magnificam *Circulationis* doctrinam præclarum in modum explicatur.

Balneorum praxis, non modo ad recreandum Urinæ ardorem, ſed ad vehementem ejus ſuppreſſionem (quæ quorundam Pharmacorum uſum conſequitur) relevandam, adeo ingentis momenti eſt, ut digna ſit, quæ fuſiori accuratiorique ſtylo pertractetur. Balneationis Theoria nos admonet, homini in aqua frigida immerſo Urinam & crebrius, quam a Natura, & copioſius commoveri; ſin autem in aqua admodum calida, contrarium prorſus in modum rem procedere. At vero Urinæ ſuppreſſio naſcitur ex vehementi quadam Veſicæ colli conſtrictione, cujus interventu Sphincter quaſi male feriatus vim exploſivam vi nova repellit. Cum autem hæc conſtrictio ex Inflammatione (quæ, ut ſupra innuimus, immodicæ ſtimulationi debetur) prorſus proficiſcatur, cum etiam iſtiuſmodi Inflammationes ab admoto Liquorum tepore perquam feliciter relevari ſoleant, itaque temperatæ Balneorum undæ, totum ventrem infimum valde ſuaviter circumlambentes, faciunt, quod quaſi iratus Veſicæ Sphincter adeo

mirum in modum mitigetur, ut, renixu haud amplius facto, humores deſcendere permittantur.

Quando autem inſuper eodem tempore, eandemque ob cauſam, Urethra haud diſſimili Inflammatione vexetur, tamen Balneorum tepor iterum quoque hoc in loco tam proſpero munere perfungitur, ut, exeundi venia impetrata, Lotium exoneretur non ſine ſummo ægroti oblectamento.

Hinc demum ad qualem caloris gradum hæc Balnea debeant elevari, necnon quam nullius momenti ſit ea calidis plantis aut etiam Diureticis medicari, tuto colligamus

CAP. IV.

De Conſtrictione, quam erectus Penis percipit, relevanda, necnon de Gladis Inflammatione recreanda &c.

QUemadmodum gravis illa Conſtrictio, quæ erectionem Penis nonnunquam conſequitur, ex eo prorſus facta ſit, quod Urethra exulcerata inter *cavernoſa Corpora* dure comprimeretur; Erectio autem ipſa a ſtimulativo *Gonorrhææ* ſpiritu excitaretur, ita niſi aut Urethram a corroſione ſalvam præſtemus, aut ipſum erectionis impetum domemus, ſpes doloris leniendi inanes agitabimus. Ex his prior Intentio ab iis rationibus medicamentiſque perfici poteſt, quæ in ſuperiori Capite cumulavimus: Alta vero ad optatum exitum perduci nequit, niſi

niſi iſtas Methodos , quæ Penis intumeſcentiam repente compeſcunt , admoveamus . Sin autem quiſque repetet , quid ſibi obtigit , quando in aquam vivam aut marinam , aut (quod majus eſt) in Frigidarium ſe immiſerit , medicina ei nunquam deerit in promptu.

Amaſia ex Nive confecta , qualem *D. Franciſcus* olim habuiſſe legitur , præſentaneum, præſertim in noſtro Climate , juvamen exhibebit.

Sed ut Methodum hactenus inſtitutam explerem , formulas quaſdam *Authorum* , ad eundem licet ſcopum collineantes attexendas puto.

Antequam vero haſce formulas adjungam, hoc in loco præclara facultas mihi datur de Glandis & Fræni inflammationibus , deque fœdo Urethræ hiatu ſanando , differendi . Hæc enim omnia ab acido *GonorrhϾ* veneno commoventur , & graviſſimam moleſtiam atque pericula inducunt . Etiamſi Mulieres Glandem nullam aut Frænum habeant , Vaginæ tamen Sphincter , & Clitoris , & Labia ipſa eandem prorſus ab acredine , atque iſtæ Virorum partes , Inflammationem paſſa ab iiſdem curandi intentionibus ad medelam promoventur ; iis nimirum intentionibus , quæ inſtantem ſimul Inflammationem mitigant , atque impediunt , quo minus in hiſce locis Contages poſtmodum graſſaretur . Huius generis ſunt Medicamina, quæ ſubjunguntur.

℞. *Lact. tepidi.*
Aq. Roſar. rubrar. ana. unç. j.

Sacch.

*Sacch. Saturni.*dr.jſſ.
M. & fove Glandem & partes vicinas.

℞. *Flor. Sambuci.*
Furfur Siliginei ana M.
Radic. Lilior. alb. unc.j.
Decoq. in Aq. Sperm. Ranar.
Lactis rec.ana lib.j.
Colaturę tepidæ adde Balſ. Saturni dr.j.
M. & foveantur partes tumidæ.

℞. *Folior. Acetoſ.*
*Flor. Sambuci ana M.*j.
*Panis Siligin.*unc.ij.
M. F. Lacte ebutyrato, ſed recenti, Cataplaſma Glandi inflammatæ applicandum.

CAP. V.

De Carcinomatum ſive Cariei Curatione.

QUanquam inter *Gonorrhææ* Symptomata in hoc loco *Carcinomata* numerentur, tamen omnia in eodem ſatellitio non collocari ſupra ſignificavimus: Ex iis enim quædam haud minus diſtinctas, quam *Gonorræa* ipſa, in *Lue Venerea* provincias ſortiuntur; Quædam ab infelici atque imperita Curatione aut ab ipſo Morbo Gallico naſcuntur: Quædam demum vera ſunt atque directa Symptomata *Gonorrhęæ*.
Etſi autem fortaſſis & *Carcinomata*, quæ *Gonor-*

norrhœam conſequuntur, & ea quæ propriam ſibi & non dependentem Naturam vindicant, ad Medelam (nullis Medicamentis intus acceptis, ut infra oſtendemus) poſſint perduci; e regione vero ea, quæ a *Morbo Gallico* excitantur, poſtulent, ut Topica interna caperentur; tamen haud iniquum erit, ſi Methodum eorum curatoriam paulo generaliori intuitu impræſentiarum perſequamur. Utcunque enim Pharmacorum intus aſſumptorum neceſſitas ſe habeat, unuſquiſque ſibi Medicus propoſuit, ut externis applicationibus hæc Tubercula diſcuteret, etiamſi incertus exitus & dolores magni iſtis Methodis obſtrepere quodammodo viderentur. Sin autem ex tribus *Carcinomatibus* duo ad minimum non faciunt, ut Medicinam internam adhibeamus, tum equidem de humano genere quam optime merebimur, ſi a Salivatione parum neceſſaria, & a Mercurialibus, periculoſiſſimiſque Vomitoriis, miſeros vindicabimus. Cuicunque vero origini hæc *Ulcuſcula* debeantur, an coagulentur an vero diſſipentur Liquores partium, quas incruſtant, hoc perſuaſum habemus, Remedia nulla ad hoc uſque tempus excogitata ex ſententia ſucceſſiſſe, niſi quæ haſce peſtes penitus conſumpſerint, profecerintque, ut ſe a ſinceris partibus ſegregarent. Hæc autem Ratio efficienti *Carcinomatum* cauſæ nequaquam occurrit, utpote quæ, velut vulnera inſanabilia, quaſi flamma delentur, non mediocri cum damno partium integrarum. Huiuſmodi autem Remedium tantos dolores Inflammationemque tam atrocem inferre ſolet,

ut ad ipſam aliquando Penis amputationem, ob immanem morbi acrimoniam, vimque admoti Medicaminis immaniorem, confugiendi neceſſitas imponatur. Hæc nihilominus eſt unica curandi intentio, quæ inter *Medicos* hactenus prævaluit. In ea quidem opinione eſt D. *Blenius*, ut putet Eſcharotica, in malignitate *Carcinomatum* ſubigenda, primas ſemper partes obtinere: Illud vero præcipue nos admonet, ut in hac Praxi prudentem locorum, ubi emicant hæc *Tubercula*, & virulentiæ, qua ſerviunt, rationem habeamus. Lenioris nempe generis *Eſcharotica* partibus teneris admodum & delicatis, uti & Ulcuſculis recentibus & exiguis, admoveri; e contra autem ad loca craſſa & calloſa, necnon ad *Carcinomata*, quæ radices latas & profundas & diuturnas egerunt, activa Pharmaca & fortiſſima debent applicari.

Verum enim vero hæc *Eſcharoticorum* methodus non modo incredibiles dolores ſecum trahit, ſed & magnam medelæ *Carcinomatum* moram producit, ſiquidem plerique non niſi annuo, & nonnunquam longiori tempore, ſanantur. „Excidente jam Eſchara, ait *Blenius*, „Suppurativorum uſus ad octo tantum dies, ſi „perexigua ſint Carcinomata, ſin autem gran-„dia, ad ſex ſeptimanas eſt prorogandus, ad „mediocria denique, media utique mora po-„ſtulatur.

Hic minimus eſt Temporis terminus, quo utitur Eſcharoticorum Curatio, quæ ad plurium annorum ſpatium, cum incommodis omnibus ſupra memoratis, nonnunquam prolatatur.

Quan-

Quandoquidem autem *Medicorum* omnium & *Chirurgorum* familia pro incerto hoc & tardo curationis inſtituto certum aliquid & expeditum nondum ſubſtituere & ſupponere cœperunt, itaque Formulas quaſdam Eſcharoticorum, quæ in vulgari uſu ſunt, numerare properabo.

Medici cum Remedia, quæ vulgo appoſuerunt, ad *Carcinomata*, eradicanda perpaullulum valere vidiſſent, medicaminum præ cæteris omnibus acerrimorum periculum facere, ipſius nimirum *Aquæ fortis* & *Regiæ*, neceſſe habuere. *Fallopius* autem ingentem illam, quam atrociſſima hæc medicamenta attulerunt, jacturam compertam habens vehementer vult, ut ab iſtius aquæ uſu Medici valde caveant, quæ Aurum ab Argento ſolet ſegregare: deinde etiam duas diverſas *Aquæ fortis* formulas, unam ex *Mariano Barolitano*, ex *Johanne de Vigo* alteram, proponit. Idem quoque Vir *viridis Æris* tincturam cum *Aqua roſacea* compoſitam commendat; atque ſibi denique perſuadens, uti ab eo tempore omnes ſibi perſuaſerunt, *Carcinomatum* medelam fruſtra tentari, niſi adſint *Corroſiva* ſeu *Eſcharotica* medicamina, ea, quæ ſequuntur, ſedulo ſubjungit.

Pharmaca.

℞. *Aq. commun. q. v.*
Bulliat in lebete æneo, in ea infunde
Calc. vivæ parum, & adde
Vitrioli Hungar. q. ſ.
ut cæruleſcat ſolutio; hanc filtra pro
Fotu tepide applicando. ℞.

℞. *Lact. virgin. q. v.*
Mercur. ſublim. pauxillum.
M. F. Liquor, quo ſæpius tanguntur Ul-*cera maligna.*

℞. *Axung. porcin. q. v.*
Ol. Tart. per deliq. q. ſ.
ut Axungia deveniat acris & F. Unguen-*tum; vel Ol. Tart. vice addatur Ol. Vitrioli.*

℞. *Merc. precip.* unc. j.
Vini ſublimati unc. ij.
Stent ſimul in vaſe, & vinum ſublimatum accendatur, ut totum cremetur. Id cum novo vino ſublimato ter repetatur.

℞. *Merc. præc.* unc. ij.
Sp. vin. ardent. unc. iv.
Ponantur ambo in Retorta, & Sp. vini a Mercurio precipitato deſtilletur, & in vas recipiens accipiatur.
Hunc Sp. ſerva.

Duæ Præparationes *Precipitati* proxime ſignificatæ ſine ullo vel leviori ſaltem cruciatu rem ſuam efficere jactitantur. Quod tamen aliter fore eventurum comperiemus, niſi ſumma in iis componendis diligentia adhibeatur, & niſi corroſivi ſales penitus aboleantur.

℞. *Merc. vivi optime purgati* unc. j. *quam ſolve in Aq. fort.* unc. ij. *Solutioni ſuperfunde aquam communem, poſtea paulatim. Ol.*

Tart.

Tart. correctum guttatim adde, & Mercurius luti inſtar præcipitabitur, quem probe a Corroſivo per aquam ſimplicem vindica. Hic præcipitatus vocatur Luteus, ab aliquibus vero Magni Calcinati Paracelſi nomine intelligitur.

℞. *Merc. Lut. vel Precip. rub. parum. immiſceatur* Ung. *Baſilic. ſ. q. & extende ſuper petiolas, quas Cancris vel Cariebus applicabis.*

Cum autem acriora Remedia in uſum maximum venerunt, quorum viribus *Carcinoma* imprimis radicitus evellitur, poſtea Balſamicorum ope partes a tam gravi evulſione offenſæ reſtitui & relevari debent, idcirco prioris generis prius conſtituam, deinde ad Balſamica feſtinabo.

Balſamica, quæ vulgari in uſu ſunt ad partes conſolidandas, ſuo munere cunctanter nimis funguntur, ideo *Muſitanus* hoc Balſamum proponit.

Balſamum.

℞. *Aloes.*
Myrrhæ & Croci ana unc.j.
F. omnium Pulvis & affunde
Sp. vini ardent. lib.j.
Stent ſimul per duos dies, deinde per Inclinationem, tantum, Sp. vini ſepara, & in vaſe optime clauſo ſerva. Aſpergatur Ulcus *ter vel quater in die, & conſolidatum erit.*

At

Ab hoc Balſamo (prout ipſe confitetur) neceſſe eſt ut dolores magni moveantur. Quapropter alia Olea, ſicut *Ung. de Tutia*, ab eo commendantur. Nullum autem præponere oportet *Unguento Deſiccativo Rubro*, aut *Ung. Diapompholygos*, vel huic, quod a *Johanne* de *Vigo* conſtituitur.

℞. *Ol. Roſac.* unc.ij.
Succi Plantagin. dr.vj.
Litharg. Auri & Argenti ana dr.v.
Tutiæ dr.iij.
Ceruſs. dr.ij.
Plumbi uſti dr.j.
M. & ducantur in Mortario plumbeo ad Unguenti conſiſtentiam.

Quanquam vero Authores ad *Carcinomatum* curationem Remedia jamjam recenſita admoverunt, tamen ex iis etiam acerrima & moleſtiſſima Venereæ Peſti ſatisfacere non potuerunt, quocirca Medicamina quoque Mercurialia intus adhibuerunt, quæ eodem tempore Medelam promoveant; prohibeantque, quo minus Maſſa ſanguinis interim pollueretur. Quemadmodum autem diverſa *Carcinomatum* genera a præmiſſa Theoria ſatis ſignificata fuerint, exinde quoque, quæ ſanguinem vitiant atque interna Topica deſiderant, quæ vero ab externis remediis ſanantur, perſpicere poterimus.

Ex multa mora, quam effert *Eſcharoticorum* Praxis, licet colligere, quod *Carcinomata* non

tam

tam repente ſanguinem corrumpunt, *Veneream-que Luem* propagant, quam plerique ſibi Medici perſuaſerunt. Quippe quando *Eſcharotici* Pharmaci non eſt *GonorrhϾ* acrimoniam, a qua hoc Ulcuſculum excitatur, penitus opprimere, ſed tantum agere ut *Cruſta* delabatur, palam fit acrem Contagis ſpiritum in ſanguinis maſſam non manare, ſed ſede *Carcinomatis* prorſus contineri: præſertim quoque cum cætera Morbi Symptomata, deletis his Ulcuſculis, deferveſcere & tandem tolli videamus. Quapropter quando hanc Curationem *Carcinomatum*, tardam licet & cunctantem, & Pharmacis Peſtis acrimoniam parum ſubigentibus utentem, Venerea Lues raro excipiat, ſtatuendum eſt idcirco *Carcinomata* haud majore jure Veneream Luem, quam *Gonorrhœam* ipſam, allatura.

At vero *Blenius* ipſe tantundem agnoſcit: „ ſi „ ſales acidos (inquit ille) altius, quando viru„ lenta Gonorrhœa progignitur, in corpus „ penetraſſe, quam Ulcera Venerea & Carci„ nomata excitantur, ſupponamus, tum pro„ fecto intelligi poteſt, Morbi Gallici peri„ culum multo certius a Gonorrhœa, quam a „ Carcinomatibus, procreari. Hæc itaque res extra aleam omnem dubitandi ponitur, & ad D. *Blenii* obſervationem accurati quadrat: Iſtius autem cauſa ex iis, quæ ſupra diſputavimus, facillime repetitur. Sed quidem Hypotheſis, quam ſecutus eſt, coegit Hominem, ut ſententiam amplecteretur ſui ipſius Experientiæ repugnantem, quod palam efficitur, ſi ea

tantum, quæ clauſulam jam citatam excipiunt verba conſulamus.

Sed ne in tarda hac & moleſta Methodo curandi nimis diu immorari videar, jam aliam longe commodiorem proferre propero, quæ brevi tempore, fere nullo doloris Inflammationiſve aut Amputationis periculo, conficit *Carcinomata*. Accedit etiam, quod hoc Remedium haud utitur adjumento alterius cujuſcunque aut ad *Carcinomata* extirpanda, aut ad læſam Cutem renovandam.

Hic felix Eventus ab *Unguento* quodam producitur, quod non a ſpe aliqua bona, aut ſola opinione, ſed ab ipſo fructu & continua viginti annorum Experientia commendatur. Hujus Unguenti efficacia certo reſpondebit votis omnibus hominum, qui nunc ſunt, uti & Familiarium quorundam, quibus olim fuit impertitum, Methodus, ipſius ad inſtar Medicamenti, brevis eſt & factu faciliima. Hujuſmodi enim *Unguentum* tantummodo eſt ad *Carcinomata* apponendum.

℞. *Hydrargyri q. v.*
Terebinth. Venet. q. ſ.
M. F. Ung*uentum.*

Prius vero quam rationem hujus *Unguenti* & defenſionem ſuſcepero, valde erit ad propoſitum noſtrum, quo ſucceſſu in aliis nonnullis iiſque gravioribus Ulceribus verſatum fuit, in medium proferre. Hujus generis narratio eo nomine gratior erit, quia Ulceris genus, de quo ver-

verba ſum facturus, inter Europæ gentes inauditum eſt.

Hæc Hiſtoria cum Germano meo, Doctore *CoKburn*, fuit communicata, quoniam autem ſui ipſius judicii, cum res mea ageretur, ſuſpicionem habuiſſet, itaque de libro meo ſententias alienorum primo ſignificat, deinde ad Unguenti mei mentionem delabitur. Poſtquam vero candidas humanaſque D. *Tho Hoy* & aliorum de meo Opere, ſummaque *Unguenti* mei utilitate, opiniones recenſuiſſet, hunc in modum deinceps procedit.

„ Non poſſum (inquit) dicere me unquam
„ ad Carcinomata Unguentum tuum applicuiſ-
„ ſe, ſed vim ejus in Ulceribus, natura haud
„ diſſimilibus, & in loco periculoſiori emicanti-
„ bus, expertus ſum: *Æthiops* quidam meus Ul-
„ cere quodam, quod apud nos *Crab-Yanes* au-
„ dit, vexabatur. Hoc genus Ulcerum in pe-
„ dum plantas exoritur, atque labiis adeo du-
„ ris & calloſis inſignitur, ut reſecari non ſine
„ difficultate poſſit. Moris erat ea Cultello
„ prius præciſa cum ardente ferro, aut pulveri-
„ bus Cauſticis, quales ſunt *viride Æs* & *Vi-*
„ *triolum Romanum*, caſſis licet plerumque co-
„ natibus, amburere. Ulcus Pueri mei in ea
„ parte plantæ excrevit, ubi cutis erat admo-
„ dum calloſa: cui prius reſecato quum Medi-
„ cinam tuam admoviſſem, durities paucorum
„ dierum ſpatio ſenſim evanuit, & pes Pueri ad
„ priſtinam ſuam mollitiem & ſanitatem eſt re-
„ ſtitutus: Hujus Experimenti vis adeo eſt in
promptu, ut explicatio omnis præcludatur.

Attamen autem hujus generis intentiones grex hominum valevolus invidia potius atque calumnia proſequitur, quam laudibus & gratiis, quæ Inventoribus multo juſtius debentur. Siquidem hi contra ipſius veritatis lucem euntes hunc in modum diſputant. Nonne *Mercurius* (inquiunt) & *Terebinthina* ante in *Venereæ Luis* curatione, quam hic homo extitit, verſabatur? minime inficior. At profecto in *Carcinomatum* curatione locum antea nullum habuerunt. Quod ſi (ut hanc rem conficiam) vegeto dolori certa relevatio, ſi medela, intra quatuor dies perfecta ei, quæ in quatuor longos menſes producitur, ſi demum Penis amputationi ſanitas atque integritas præferatur, tum ædepol hæc noſtra curandi ratio cæteras univerſas, quæ antehac fuerunt, merito antecellit.

Exiſtimatio cujuſque remedii ex uſu ejus & utilitate proficiſcitur: ſi igitur notum aliquod & populare medicamen, cum aliis commixtum & bene præparatum, ad novum uſum & utilitatem dirigeretur, illud æque novum judicari debet, ac ſi quod aliud ex plane novis & inauditis principiis de integro coagmentatum. Itaque non vereor dicere, quod vulgarium medicaminum ad novos fines & opportunitates felix accommodatio multo melius de Re Medica meretur, quam ſi ignota antehac medicamenta reperiamus, quæ omnibus popularium methodorum intentionibus inſervirent. Quapropter hoc Remedium non ſecus novum eſſe & mei juris puto, quam ſi plantam aliquam novam & prorſus inauditam perveſtigaſſem.

Quan-

Quando *Unguenti* hujus præſtantiam olim vindicabam ab incommodis, quæ vel ex ejus ſimplicitate, vel ex antiqua principiorum, e quibus conflatur, cognitione oriri poſſe arbitrabar, nequaquam in mentem meam venit, me in plagiariorum numerum referendum unquam fore. Verum quando ex malevola quorundam diligentia percrebuerit rumor, vireſque eundo acquiſiverit, hoc meum remedium a *Fallopio* jamdudum fuiſſe præſcriptum, quamvis modeſtiores quidam innuunt me illius *Unguentum* aliquantulum emendaſſe.

Quando, inquam, res ita ſe habeat, eam paulo fuſius excuti & enucleari oportebit: verumtamen de eo ipſo obiter mihi gratulari ſatis non poſſum, quod hoc unicum ſit vitium momenti alicujus, quod toti libro noſtro objectatur. At quoniam nonnulli homines haud mediocri cum ſolertia leviuſculum hunc rumorem propagaverint, non eſt ut gravioribus eorum erroribus ignoſcerem; ſed ut hanc rem paulo acriori ſtylo perſequamur. En verum *Unguentum* a *Cl. Fallopio* propoſitum.

Unguentum.

℞. *Axungiæ porcinæ* unc.ij.
Thuris.
Aloes ana dr.j.
Argenti vivi dr.ij.
Teruntur hæc in Mortario, extincto Argento vivo, & fit Unguentum, quo inungimus.

Quiſquamne vero hoc Medicamentum aut ſurripi a me, aut ſurreptum promoveri poſſit dicere? An quia utriuſque *Unguentum* cum *Mercurio* præparetur? At certe Reprehenſores noſtri non credunt, quod *Mercurium* primus omnium, præſertim in Unguento, etiam ipſe *Fallopius* præſcripſerit, cur non vero *Galeni*, vel Arabum ſaltem, potius quam *Fallopi* ſcrinia compilavi? Hi enim univerſi *Mercurium* in Unguentis poſitum commendarunt. Immo, *Unguentum* illud, quod anſam Salivationis primam præbuit, ab *Auicenna*, doctiſſimo *Fracaſtorio* teſte, repetitum fuit.

Eadem profecto abſurda, eadem malevola ratiocinatio *Hippocrati* quoque (ſi iiſdem Viris placeret) omnem hujus Medicamenti laudem eſt tributura: *Hippocrates* enim ipſæ, & primævi Medici *Terebinthinam* (quæ Unguentum hoc noſtrum proxima ingreditur) Ulceribus admoverunt.

Unde igitur hujus inventionis novitas? Idem ſane ſonat horum argumentatio: *Fallopius* autem nulla utitur Terebinthina. Eadem equidem argumentatio contra *Rudium* ſive *Ruffum*, quem *Rhaſen Pereira* appellat, valebit, qui Catapotiorum uſum primus detegebat: Neque enim ille (ſecundum noſtros homines) dignus eſt, qui Inventor nominetur, quoniam ex Aloe-quæ antea in uſu fuit, Catapotia præcipue componantur. Neque *Fallopius* Unguentum ſuum ſibi debet vindicare, quoniam nec ille *Mercurio* utebatur primus, aut ad *Cariem* aut ad *Carcinomata*, de quibus nunc agitur, exiccan-

da,

da, aut ad aliud quodcunque *Venereæ Luis* Symptoma corrigendum. At vero hoc *Fallopii Unguentum* & ſuas ſpes (uti ipſe confitetur) quodammodo fefellit, & magnum ægroto, propter *Axungiam Porcinam Aloemque*, dolorem incutit; hæ vero jacturæ a meo removentur. Adde quod *Argentum Vivum* dimidiam Unguenti mei partem (illius autem ſolummodo decimam) conſtituit, & cum optimo omnium *Digeſtivo* temperatur.

Ex quibus omnibus intelligimus, vires ſinguli Remedii longe inter ſe diſpares atque diverſas exerceri. Quinetiam Thus ab *Avicenna* plane *ſpecificum* ad Tumorem omnem delendum putabatur. Quocirca eandem in Thure atque in Mercurio ſpem poſitam habuit *Fallopius*. Utrumque enim Pharmacum ejuſdem hominis authoritate(*Avicennæ* ſcilicet)nitebatur.

Atque in hoc profecto Adverſarij meam conſiſtere ſolertiam omnem dicunt, quod *Fallopii* Unguento ſupervacaneum quodque præciderim, *Mercuriique* juſtam & ſatis validam quantitatem cum Materia quadam, quæ Unguenti formam pariter & efficaciam promovet, commiſcuerim.

Verum enim vero hæc ipſa Objectio ſatis mihi honoris tribuit. Egone enim addidi aliquid ad magni *Fallopii* ſagacitatem? Unguentumne ejus hanc debitam emendationem per centum & viginti annos deſideravit? Liceat mihi igitur aſſumere, quod ego potiſſimum præclarum hoc Remedium, quod Adverſarij etiam mei per centum & viginti annos (etſi forte per di-

midium iſtius ſpatii oblivio illud ſeperit) in-claruiſſe agnoſcunt , ad juſtam ſuam & debitam perfectionem deduxerim.

Attamen autem cum alterius Medici remedio in unico tantum Pharmaco communicare, iſtius quoque Pharmaci quantitatem , qua ille utebatur, quintuplo majorem adhibere , vehiculumque inſuper longe commodius adjungere, Inventoris profecto magis eſſe , quam Emendatoris, videtur. Sed hæc res penes Lectorem ſit.

Tum ſe, tum Facultatem ſuam haud mediocriter offendunt Medici , qui eam ob ratiouem methodum curandi aliquam vituperio proſequuntur , quod popularia tantum Pharmaca uſurpet. Si enim Reprehenſores iſti hac ſua calumnia ſignificari vellent, ſuam è contrario Praxin a Methodis non vulgaribus atque inauditis Pharmacis ſuſtineri, iſtud quidem præ ſe Ferendo omnem omnium, qui per omne ævum extiterunt , *Empiricorum* arrogantiam ſuperaverint.

Utcunque vero ridiculæ hæ animadverſiones ſint & prorſus dementes, calumnia nihilominus , ſi naturam hominum perpendamus, haud ægre hæret & propagatur. Ut tamen de ijs Pharmacis (quibus aut Praxis nova , aut Materies, novitatis ſpeciem impoſuit) plane taceam , certe intelligimus: diſſimiliorem iiſdem coloribus , qui a diverſis pictorum manibus miſcentur , pulchritudinem accidere non poſſe, quam eventum Pharmacis, quæ a diverſorum *Medicorum* mentibus temperantur. Verum

rum quoniam quicunque vehementem calumniandi facultatem exercent, iidem homines crebro grande aliquod præ ſe ferre & vehementer gloriari ſoleant, itaque mihi ſemper ſtatuendum exiſtimavi, Remedium nullum pro *Specifico* haberi oportere, niſi quod prius ab Experimentis plurimis confirmatur, quorum quoque momenta omnia diligentiſſime fuerunt perpenſa, hoc eſt; niſi vel in eodem morbo, eandemque morbi gravitate verſatum fuit, vel, quando jam de optimis aliis quibuſcumque Pharmacis ſpes nulla fuerit, id cum felici exitu adhibitum fuit.

Hæc profecto fuit imprimis Arti Medicæ fortuna fatalis, ut multa multi pollicerentur, quæ nunquam aſſequi potuerunt, Ita enim plurimi homines *Carcinomatibus* abſque ullo uſu Eſcharoticorum, arcanis quibuſdam methodis occurrere (quod nequaquam antehac factum fuit) ſe promiſerunt. Quoniam autem D. *Blenius* hanc *Agyrtarum* conſuetudinem ſimul & ſpes vanas commode depinxit, illius verbis uti liceat. „Intra octo aut novem dies (inquit ille) „deterrima atque immaniſſima Carcinomata ſe „extincturos Agyrtarum pecus profitebitur. „Sin autem ignorantiam ſuam & dolos malos „experientia detectos penitus & exploratos hi „Viri videant, tum fidem ægrotis facere con„tendunt Medicinam ſuam omnia (quæ ex „Lue Venerea non oriuntur) Carcinomata „certo tollere, ſed conditionem ſanguinis adeo „depravatam vitiatamque eſſe, ut eorum ulcu„ſcula removeri prius nequeant, quam ipſa Lues re-

„ relevabitur. Ut tamen hujus Hiſtoriæ cum „ aliis, quæ nunc ſunt, comparationem omittam, ſatis erit alteram attexere, quarum ſi utraque jungatur, omnes *Agyrtarum* mores exprimentur, hanc vero poſtremam a *Muſitano* accipe. „ Infirmo, (inquit ille) ſuadent Fluorem „ illum utilem eſſe, cum Natura per eum locum „ virulentam materiam expurgare conetur, „ neque cohiberi debere, quia corpus inficere poteſt, & pejora eveniunt mala: Hac „ malitioſa induſtria, quod illi perficere nequeunt (ſtercoris & ſanguinis eductione) per „ alios curari ſub pœna majoris damni infirmis „ prohibent.

CAP. VI.

De Cryſtallinorum Curatione.

NAturam *Cryſtallinorum* (qui ſunt ſpecies Cariei illius, quam *Antonius Muſa*, quamque Medici Italici *Taroli* appellant) adeo fuſe in præcedenti hujus Operis filo patefecimus, ut eorum Remedia jam nullo cum negotio indicare poſſimus; præſertim ſi Nobiſcum reputemus, ea à contuſione parti cuidam corporis illata, quæ ingenti humorum Affluxui & Gangrænæ valde ſubjicitur, excitari. Qua de cauſa quicquid applicatur ſatis Stypiticum eſſe debet, ut haſce molles Veſiculas contraheret, neque vero vehementer admodum Adſtringens, niſi forte, liquoribus loci contuſi interim condenſatis, Gangræna gravis cieatur.

At-

Atque demum, ut uno verbo rem conficiam, adſtringentia, quibus utimur, fomenta ita ſpirituoſis pharmacis animare oportet, ut periculoſus iſte ſcopulus devitetur.

Felix, eventus, quem ex continua Experientia hæc Praxis recipit, maximam fidem facit Theoriæ, quæ ſuperius fuit conſtitura: ab ea enim intelleximus, *Cryſtallinos* nullo modo a *Gonorrhœa*, ſed ab ipſo coitu, præcipue vero quando adſint conditiones ibi memoratæ, proficiſci. E contra vero alterius cujuſcunque generis remedia aut vires caſſas aut cunctantes ſaltem & tardiſſimas exercet. D. *Blenii* Experientia ad hanc Doctrinam exquiſite quadrat. „ Aquei hi Tumores (ait ille) tantam aliquando malorum cohortem ſecum ducunt, ut a „ quibuſdam pro Symptomatibus Venereæ „ Luis, atque etiam pro Lue ipſa haberentur. „ Hi itaque homines in eo elaborarunt, ut a „ Purgativis, Sudorificis & vehementer Diureticis, a Cinnabari fumis, & Emplaſtris Unguentiſque Mercurialibus, & ab univerſis demum Pharmacis, quæ ad morbum Gallicum „ adhibentur, Cryſtallinos exiccarent; in hoc „ autem tota via errarunt; quoniam hæc aquea „ Tubercula a Peſte Gallica nequaquam pendent. Illud enim compertum habemus, Medicamina, quæ in vulgari uſu ſunt, rem ſuam „ haud tam brevi tempore, quam Tumores „ aquei poſtulant, efficere. Hi enim Tumores adeo importuni ſunt, ut in trium aut „ quatuor dierum ſpatio, niſi a remediis Topicis ſtatim ſubigantur, ad maturitatem ſuam „ adoleſcant.

Hæc

Hæc equidem ab optimo omnium, qui in hoc genere ſtudii extiterunt, Tractatu confirmanda exiſtimavi, duas potiſſimum ob rationes, quarum prior eſt, ne ego ſolus & ſingularis videar, qui hanc antehac inauditam opinionem ſum amplexus. Altera vero, quoniam homines ita ſæpe comparati ſunt, ut magis defuncti atque peregrini Medici auctoritate, quam viva ſuorum voce vincerentur. Non eſt ut addam, quanta quoque ratione ac Experientia res tota ſuffulcitur. Veruntamen D. *Blenius* ex Aqua potius, quæ in Criſtallinis continetur, quam ex vera eorum Natura ſuas curandi intentiones repetens in errores haud leviores, quam cæteri homines, licet minus periculoſos, incurrit. Aqueas enim has Veſiculas a Pharmacis, quæ in Aquam (ſicut vulgo fertur) vim quandam purgativam exercent, poſſe diſcuti ſuſpicantur: atque ſuo Remediorum, quæ ad *Veneream Luem Specifica* habentur, amori tantopere indulget, ut eadem quoque cum aliis quibuſdam Medicamentis, quæ ad *Venerea Ulcera* & *Carcinomata* commendat, miſceri jubet, Hæc autem omnia nequaquam eo animo admonet, ut Remediorum Topicorum uſus tolleretur: „quorum neceſſitas (addit ille) ex eo maxime intelligitur, quod tantam vim habeant „in quorundam ægrorum curatione, ut Re„media interna, niſi hæc ſimul præſto fuerint, „incaſſum admoveamus.

Quod ſi horum Topicorum neceſſitas talis ſit, qualem ille ſignificavit nobis, ille vero e contra Purgantia Pharmaca ea intentione admini-

miniſtrat, ut Aqua (quod fieri illa ratione prorſus nequit) diſcuteretur, palam efficitur D. *Blenium* minus bene uti Experientia ſua, *Cryſtallinoſque* a Topicis tantum Remediis (nulla *Carcinomatis* aut *Gonorrhœæ* aut *Venereæ Luis* ratione habita) ad medelam perduci.

Cryſtallini quidem a plurimis hominibus inter deterrima *Gonorrhœæ* Symptomata plerumque numerantur, quanquam autem neque Experientia mea, nec opinio, quam de illorum curatione habeo, mihi ſatis unquam argumenti fuit, ut tantam eorum atrocitatem ſuſpicarer: ſpero tamen, ut aliorum praxis (quæ meam potius confirmat quam diluit ſententiam) hanc diſſentiendi libertatem ſit mihi conceſſura. Attamen autem ne inter varias opinionum diverſitates res ipſa excidat, & medelam deſideret, ſequentes Methodos, quæ magis in deliciis ſunt, proponendas puto.

Atque equidem, ſi *Muſitano* fides ſit, *Tabaci* ſpiritus graviſſimo huic malo duntaxat ſatis occurrit, qui ab eo itaque in hunc modum præparatur.

℞. *Tabaci Foliorum viridium q. v.*
Infund. vino Malvatico.
Tinctura utatur ſine Deſtillatione.

Cryſtallini hac Tinctura, a *Mercurio Præcipitato* prius caſtigata, ſunt quinquies ad plurimum attingendi. Æquum autem erit, ut ægroto jacenti admoveatur, ne forte ob dolorum inſultus & vehamentem Tincturæ vim ſpaſmis op-

oppreſſus decidat. Sin autem *Cryſtallini* tam graves revera eſſent, quam hic Medicus aſſeverat, aut tam immane remedium poſtulaſſent, tum profecto inter peſſima *Gonorrhœæ* aut *Venereæ Luis* Symptomata jure optimo numerantur. Verum quidem D. *Blenius* & complures alii nihil vident, quod a *Cryſtallinis* tantopere metuatur: licet ille etiam majoris periculi, quam quod aut res ipſa, aut Experientia ejus unquam denunciavit, terrore commoveatur. Intelligebat enim Pharmaca deſiccantia, aut diſcutientia ad *Cryſtallinorum* medelam ſatis valere. Quocirca Spiritum vini Camphoratum, Paſtam quoque quandam ex Lomento & aqua Tiliæ, & Sale Armoniaco conflatam commendat, immo quoque ad Adſtringentia devenit, qualia ſunt Albumina pulvere Sympathetico & Alumine temperata.

Quandoquidem vero ſupra oſtendimus, tepida Medicamina a contuſione poſtulari, quo melius Liquores diſcuti & fluitare poterint, idcirco Adſtringentia & Deſiccantia Pharmaca, quibus nonnulli ad Liquorem abſorbendum utuntur, multum plerumque detrimenti afferunt. *Gangræna* enim, quæ omnibus magnis contuſionibus ab iſtiuſmodi Medicaminibus tractatis accidit, exinde ſequeretur.

Quapropter quicquid applicatur, dum contra contuſionem potiſſimum dirigitur, Stypticum quoque aliquid & mediocriter Adſtringens afferre debet.

℞. *Aq.*

℞. *Aq. Calc.* unc. iij.
Sp. vini gallici unc. ij.
M. & foveatur pars affecta tepide quater vel quinquies in die.

℞. *Folior. Abſynth. M.* j.
Flor. Chamemæl.
Sambuci ana M. ſſ.
Coq. in Aq. Calc. lib. jſſ. *ad* un ter. *conſumptionẽ.*
Colaturæ per expreſſionem factæ add.
Spir. vini unc. vj.

Quando autem, quod de parte contuſa amplius metuatur, nihil habeamus, tum ad prædicta medicamina paulo fortiora Adſtringentia addendi cumque iis *Romanum Vitriolum* aut *Aquam Ophthalmicam Sapphyrinam* commiſcendi locus datur. Ita enim curatio abſque ulla *Mercurii* mixtura & abſque ope internæ medicinæ conficietur. Quando autem neque ipſe Tabaci Spiritus, neque atrox cæterorum fortium Remediorum vis & vehementia, dum *Cryſtallinos* extirpat, *Veneream Luem* tollere jure ſupponatur, Idcirco Experientia haud ſatis Argumenti adhuc nobis fecit, ut illos a *Lue* concitari judicemus: quippe quod neque ex natura *Cryſtallinorum*, nec Curandi ratione ullatenus efficitur, ex quibus omnibus manifeſto cogitur Doctrina, quam ſupra propoſuimus, *Chyſtailinos* ſcilicet nequaquam a Contage, ſed ex certis *Coitus* conditionibus exoriri.

CAP.

CAP. VII.

De Curatione Phimoſeos & Periphimoſeos.

IN Eorum equidem ſententiam ego tranſire non poſſum, qui putant naturalem illam ineptitudinem, qua Præputium ægre ſuper Glandem retrolabitur, *Phinum* aut *Phimoſia* ullo modo denotare. Siquidem Præputium protrudi atque retrahi poteſt, ſemoto omni periculo *Strangulationis*. Quandocunque autem Præputii Strangulatio dolores moveat, aut Inflammationem & humorum affluxum cogat, tum profecto *Phimoſeos* & *Periphimoſeos* Symptomata omne noſtrum ſtudium & diligentiam poſtulant. Hæc præternaturalis Præputii ineptitudo, ex qua fit, ut ſuper Glandem retro citroque moveri abſque multa moleſtia non poſſit, a *Carcinomatibus* ibidem genitis, & ſpiſſitudinem glomerantibus, proficiſcitur. Supra enim exemplo ſignificavimus, a Variolarum cruſtis talem fere ſpiſſitudinem & *Phimoſin* poſſe, qualis a *Carcinomatibus* & *Cryſtallinis* progignitur, induci. Quas ob cauſas haud minorem artem & Medicinam *Cryſtallini* & *Carcinomata*, quam Præputium ipſum, deſiderant. Illud ſane verum eſt, craſſitiem præputii primo noſtro ſtudio indigere, ut, illa paulo ſubacta, ad ejus cauſam (nimirum *Carcinomata*) facilior via muniatur.

Deinde vero ſola *Carcinomatum* & *Cryſtalli-*

norum

norum curatio præſtare poteſt, ne craſſities futura metuatur. Qua ratione *Cryſtallinorum Carcinomatumque* medelam aſſequi poſſumus, in duobus Capitibus proximè præcedentibus fuit ſignificatum. *Phimoſis* vero & *Periphimoſis* iis tantummodo medicaminibus ſeſe ſubmittunt, quæ Humores diſcutiunt, mitigantque Inflammationem, aut a vehementibus quibuſdam *Suppurativis* juvarunt, quæ humores quam ocyſſime foras projiciunt. Utroque enim modo Præputium ad mollitiem flexum ſua munia tam certe & procliviter adminiſtrabit, ut unquam neceſſe ſit ad graviſſimam illam Præputii diſſecandi operationem confugere.

Hæ indicationes, ſi Medicorum praxin conſulamus, Theoriam aliquam ſupponunt, ad Meam vero ſolam vere referuntur. Illud enim pro explorato habemus, quod ſicut ex Glandis & Præputii *Carcinomatibus Phimoſis* & *Periphimoſis* oriantur, ita quoque ſi Ulcuſcula ita e medio auferantur, Præputii ineptitudo cito relevabitur. Ab his profecto rationibus *Phimoſis* non tantum maturius, ſed ſine ulla ope Fomentorum aut Inciſuræ periculo ad medelam perducitur. Hæc autem curandi Methodus Medicos adhuc clam fuit, licet in Praxin deduci facili cum negotio potuerit. Verumtamen ne in his rebus nimis diu immorari videar, ad alias quaſdam Medicorum præceptiones progredior, quæ nullo conſilio, nulla prorſus Theoria, aut a Natura aut a Symptomatibus *Carcinomatum* deducenda, ſuffulciuntur.

Nonnulli enim ventrem infimum & pubem

aqua frigida aſpergi volunt, dum manus aqua etiam frigida madefacta Præputium interim reducere connitatur. Aliis nimirum placet, humorem a Præputio diſtillantem, *Spongiola* aut *Viburni medulla*, aut Radicibus *Viridis Gentianæ* inter Glandem & præputium inſinuatis, abſorbere. Cum autem prior Methodus erectionem duntaxat Penis compeſcere, *Phimoſin* vero nequaquam corrigere aut prohibere poſſit, tum poſterior falſa Hypotheſi innitatur (aqueos ſcilicet Humores in Præputio congeſtos ab applicationibus jamjam memoratis penitus deſiccari poſſe,) itaque non mirum eſt, quod omnis ſpes in hujuſmodi conatibus poſita pereat prorſus & præcidatur. E regione profecto Humor, qui inter applicationem Fomentorum imbibitur, partes diſtendit, facitque, ut dolores & liquorum affluxus alii potius atque intendi potius, quam remitti videantur.

Pharmaca.

℞. *Folior. Dulcamaræ M.* IV.
Semin. Lini pulverati unc IV.
Decoq. in vino Moſcato, Cretico: vel Larido porcino ad Cataplaſmatis Conſiſtentiam, quod applica.

℞. *Radic. Bryoniæ albæ magnæ, bene nutritæ, & in Taleolas ſectæ* lib.ß.
Frig. in Sartagine, quouſque contabeſcat. Cola, & adde
Tereb. Abietis lib.ß.
Ceræ unc.ij.
M.F.Ung. viſcidum.

℞. Ra-

℞. *Radic. Alth.*
Lilior. albor. ana unc. iij.
Coq. in Aqua communi. Piſtentur, & traÿciantur per ſetaceum; dein adde
Capitum Alliorum ſub Cineribus coctorum unc.iij.
Ol. Lilior. & pinguedinis Anſeris & Anatis ana unc.jſſ.
Farinæ Semin. Lini q. ſ.
M. F. Cataplaſma.

℞. *Mucilagin. Altheæ.*
Fænugræci.
Ficuum Pinguium ana unc.iij.
Ol. Lilior. & Chamæmel. ana unc.j.
Pinguedinis Anſeris & Axungiæ porcinæ ana unc.ſſ.
Terebinth. venet. unc.jſſ.
Ammoniaci & Galbani Aceto ſolutorum ana dr.j.
Ceræ novæ q. ſ.
M. F. Ceratum inſtar Diachyli magni.

℞. *Radic. Alth.*
Lilior. albor. ana unc.j.
Folior. Malv.
*Mercurial. ana M.*j.
Coquant. ad mollitiem; quibus contuſis adde
Farinę Tritici.
Hordei ana unc.jſſ.
Butyri rec.
Pinguedin. Gallinę ana unc.ij.
Ol. Chamęmel. q. ſ.
M. F. Cataplaſpa tepide imponendum

 Alia

Alia quamplurima Fomentorum & Cataplaſmatum ſpecimina addi poſſunt. Cum autem complura ad rem præſentem accommodata in aliis hujus Tractatus locis perſtrinxerim, nolo ea jam reponere, ſed prudentiæ Medici relinquo.

Remedia, quæ modo propoſuimus, hos Tumores aut diſcutient, aut frangent agentque, ut, *Meliceridis* ad inſtar, brevi tempore effluerent, neque gravem inciſuræ operationem unquam deſiderarent. Nihil profecto eſt quod interſit aut differat *Phimoſis* Fœminarum a Virili, quando ex Venerea cauſa utraque oriatur. In *Phimoſi* enim Marium fit, ut neque Glans detegi, nec Præputium ulla arte retrahi queat: in Muliebri vero, Vagina prorſus obſeratur, nec introitus ullus conceditur. Prior a Præputii craſſitudine, altera vero a Caruncularum intumeſcentia, gravique Sphincteris & cæterarum partium, quæ ad Vaginæ orificium ſunt, Inflammationibus plane proficiſcuntur. Mirabiles vero hæ ſtrages a Carcinomatibus, quæ in Carunculis inſident, ſicut *Phimoſis* Virorum ab iis, quæ Glandem & præputium divexant, eduntur. Quapropter ad *Phimoſin* Mulierum Fomenta emollientia applicemus, neque neceſſe eſt, ut remedia, quæ ad Carcinomatum curationem præcipue ſpectant, negligere debeamus. Verum hæc omnia jamjam ſatis enucleavimus, quando de *Phimoſi* Marium ageretur.

FINIS.

ELEN-

ELENCHUS RERUM PRAECIPUARUM,

quæ in unoquoque Capite continentur.

CAP. I. Pag. 1.

QUamobrem hic Morbus *Gonorrhœa* nuncupatur.
Deſcriptio ejus.
Fluor Albus & *Gonorrhœa*.
Quouſque Virulenta *Gonorrhœa* iis Viris, qui de *Lue Venerea* primi ſcripſerunt, innotuit.
Variæ *Authorum* Hypotheſes pro Symptomatis illius explicandis.

CAP. II. Pag. 6.

PArtes corporis, in quibus ſedes *Gonorrhœæ* vulgo conſtituitur.
Inſtrumentorum dilatantium, quæ ad Fœminas parientes adhibentur, ingens periculum & impoſtura.

CAP. III. Pag. 15.

PRoſtatæ, Veſiculæque Seminales, parteſve ſupra iſtas collocatæ, non ſunt originalis ſedes *Gonorrhœę*.
Proſtatæ remotæ nimis.
Materies Contagioſa impulſum haud ſatis velocem habet, ut ad iſtas partes feratur.
Nulla Liquoris alicujus fermentatio *Gonorrhœam* poteſt inducere.

Experimenta, quæ hæc Argumenta propugnant.
Objectio contra tertium Experimentum ſoluta.
Curatio *Gonorrhϩæ* pervulgata cum prædicto Inſtituto concurrit.
Proſtatæ & Vaſcula Spermatica nonnunquam a vi *Gonorrhœæ* perſtringuntur.
Argumenta facta a Scriptoribus, qui *Gonorrhœam* in Proſtatis & Veſiculis Seminalibus collocant.
------- non Valida.

C A P. IV. Pag. 30.

SEdes *Gonorrhœæ* in utroque Sexu: necnon Materiæ natura.
Quantitatiſque cauſa.
------- Sedes.
------- Materia non eſt Pus.
------- vera Materies.
Quantacunque in *Gonorrhœa* unquam cernitur Materies, tanta ex Lacunis emitti poteſt.
Quomodo Mares ſine ſeminis emiſſione Contagium cum Fœminis communicant.
Mirabilis, quæ in *Fluore Albo* cernitur, Materiæ quantitas.
Fernelius Veterum Medicorum de origine *Gonorrhœæ* doctrinam præbet.

C A P. V. Pag. 42.

ACris Materies in utroque Sexu *Gonorrhœam* producit.
Acrimoniæ iſtius Natura.
------- cum aliis acribus Humoribus comparata.

Quo-

Quomodo *Gonorrhœa* generatur.
Alia pro *Gonorrhœa* progignenda Materiæ quantitas, alia autem pro Ulcuſculo formando.
Obſervatio quædam antedictam opinionem confirmans.
Secunda Obſervatio, ſuppoſita quacunque alia opinione, explicari non poteſt.
Cur Effluxus jugis eſt & albus.
Cur flavus aliquando & viridis.
Alia quædam Corollaria varias ſecundum varios acrimoniæ gradus Apparentias indicantia.
Cur Effluxus fiat ſine voluptate, ſeu Erectione.

CAP. VI. Pag. 53.

De acerbo Mingendi dolore.
Cur dolor inter Mingendum.
Qua ratione Urine ardor cum hoc dolore confundatur.
Dolores in primis atque ultimis Urinæ guttis ſæviores verſantur.
Ille dolor, qui inter mingendum excitatur, per Gallicos Scriptores a *Gonorrhœa* diſtinguitur.
Verducus Bleniuſque diſcutiuntur.

CAP. VII. Pag. 61.

De dolore conſtrictionis, dum Penis attollitur.
------- Inflammatio Glandis.
------- Urethræ Hiatus.
------- Fræni Inflammatio.

C A P. VIII. Pag. 65.

DE Carcinomatibus & Cryſtallinis.
Carcinomatum Natura.
Qui Carcinoma facilius ſuſcipiunt.
Quomodo inter Carcinomata diſcernere, & quænam ad Morbum Gallicum, quænam vero non pertinent, judicare poſſimus.
Blenius Carcinomata inter ſe differre advertebat, rationem vero diverſitatis compertam non habuit.
Cryſtallinorum Natura.

C A P. IX. Pag. 71.

DE Phimoſi & Periphimoſi.
Quænam ſint.
Quomodo generantur.
Phimoſis quædam ex Variolis profecta.

C O N C L U S I O. Pag. 74.

QUamobrem Viri facilius quam Fœminæ *Gonorrhoeam* contrahant.
Inter Fluorem Album & *Gonorrhœam* diſcrimen.
Prioris ratio.
Cur tanti Negotii eſt.
Mulieres *Fluore Albo*, an *Gonorrhœa* laborent, dijudicare quomodo debemus.
Baglivii Diſcrepatio falſa eſt.

PARS SECUNDA.

CAP. I. Pag. 79.

De *Conorrhœæ* remedio conſilium generale, cum ſpeciali directæ Methodi explicatione.

Acrimonia aut retuſa aut evacuata, tollitur *Gonorrhœa.*

Ratio Acrimoniæ extinguendæ poſſibilis.

Injuriæ, per Injectionum uſum illatæ, Curationem Injectionum ope perfici poſſe demonſtrant.

Vis meæ Injectionis in materiam *Gonorrhœæ.*

------ Tutiſſima eſt.

Directa curandi Methodus nos ad pervenienſdam *Gonorrhœam* viam ſternit.

Tanta felicitas per Methodos pervulgatas afferri non poteſt.

Hujuſmodi Injectio plures, quæ *Fluore Albo* laborarunt, curavit.

CAP. II. Pag. 86.

Indirecta curationis ratio per copiam Effluxus promovendam.

Quænam rationes Medicos primæ induxerunt, ut Purgantia, Diuretica, Adſtringentia & Balſamica adhibeant.

Speciatim cur *Craſſia* utantur.

Rationes, quæ ad eandem Praxin Modernos quoque impulerunt.

SECT.

S E C T. I. Pag. 93.

QUomodo Cathartica *Gonorrhææ* curationem promoveant.
Cathartica *Gonorrhæam* non directo modo afficiunt.
Vis eorum generalis.
Cur quædam Purgantia intus accepta Hæmorrhagiam excitant , exterius autem admota inhibent.
Omnia in hoc Morbo promiſcue adhiberi non debent.
Mala ex Catharticorum uſu profecta.
----- Eorum Formulæ nonnullæ.

S E C T. II. Pag. 100.

SAlus atque injuria , quæ a Medicamentis Adſtringentibus *Gonorrhææ* infertur.
Adſtringentia in omnibus gravibus evacuationibus adhibita.
----- licet aliquando evacuationes promoveant.
Quomodo *Gonorrhæam* tollunt.
----- Nullos Liquores in riceptaculis repoſitos afficiunt.
Eorum uſus in *Gonorrhæa.*
Evacuatio ab Adſtringentibus protrahi poteſt.
----- Necnon dolor inter Mingendum.
Adſtringentia quædam a *Bernardino Tomitano* commendata.
Plures aliæ Formulæ.

SECT. III. Pag. 109.

MEdicamenta Balſamica ſeu Lenitiva.
Ulcere in Paraſtatis alibive inſidente ad Balſamica admovenda & Veteres & Recentiores Medicos impulerunt.
----- diverſam ab Adſtringentibus Efficaciam nullam habent.
Nonnullæ eorum Formulæ.
VValli Electuarium.

SECT. IV. Pag. 114.

DE Remediis Diureticis, quæ circa *Gonorrhœam* verſantur.
Uberior Urinæ reddendæ copia.
Effluxus acrimoniam non putat.
Aquæ Injectio eandem plane, ac Diuretica, vim habet.
Diureticorum vires hypotheſi eorum, a quibus præſcribuntur, valde adverſantur.
Cur Mulieribus nihil proſint in earum *Gonorrhœa*.
Gravia pericula diuturnum Diureticorum uſum conſequuntur.
----- uti Veſicæ *Pſora*, quæ ab *Hippocrate* memoratur.
----- Dolor inter mingendum.
----- Urinæ Suppreſſio.
----- ita vehemens aliquando, ut Balneis & ſæpe Perinæi punctura opus ſit.
Ronjat Diureticorum uſum ſingulari arte dirigit.

Du-

Diureticorum quædam Formulæ.
Fortiora nonnunquam Diuretica adhibentur, ut vires vehementiores exerceant.
------ Horum ſucceſſus non diureticæ, ſed virtuti ſtimulatrici debetur:
------ raro in uſu venerunt propter dolores illatos.
------ correcto ſtimulo, inutilia.
Tincturæ, quæ ex Cantharidibus conficitur, Formula.
------ *Thomæ Bartolino* pro amovenda Lithiaſi impertita fuit.
Modernæ quædam Cantharidum caſtigationes.
------ abſque Conſilio, atque ideo abſque Utilitate.
Veteres Medici prius Diuretica præſcripſerunt.
Cum Specificis miſcuerunt, ut nimius Seminis Effluxus inhibeatur.
Diureticæ Recentium Ptiſanæ cum dictis ſpecificis commiſtæ originem ſuam indicant.
Agni Caſti Syrupus ex iſtis tantum ſpecificis conflatur, & a *Trajano* inventa fuit.
Defenſio mea in eo, quod Remediorum, quæ vulgari in uſu jam ſunt, magnam incertitudinem ſignificavi.

C A P. III. Pag. 129.

Quomodo dolorem Urinæ leniamus.
Aut Salem ex Urina educendo, aut Urethram contra Loti ſalſuginem armando.
Dolorem tantummodo lenire poſſumus.

Hinc

Hinc eſt, quod duobus vel tribus poſt diebus, quam *Gonorrhœa* naſcitur, nullus omnino dolor percipitur.

Cur Scriptorum circa æſtum Urinæ mitigandum Methodus, licet Hypotheſis, cui incumbit, ſit infirma, fauſtum ſæpe eventum habuit.

Mala, quæ Phlebotomiam conſequuntur, ab eodem errore profecta.

Remediorum formulæ, quæ æſtum Urinæ demulcent.

Balnea ad hunc finem plurimum conferunt.

Quos gradus caloris hujuſmodi Balnea aſſequi debent.

CAP. IV. Pag. 136.

QUomodo conſtrictionis dolorem mitigemus.

----- id, ſi Urethræ corroſionem, ſeu Peni Erectionem præripiamus, perficitur.

---- Formulæ Pharmacorum.

CAP. IV. Pag. 138.

CArcinomatum Remedia

---- omnia Carcinomata primo admotione quadam ſanantur.

Eſcharotica Ulcuſculis vulgariter adhibentur.

Medela, per Eſcharoticorum rationem, dolorem multum & moram affert.

Eſcharoticorum & aſperorum Medicaminum formulæ.

Carcinomata, antequam vitiant ſanguinem, in eo diu verſantur.

Me-

Medela Carcinomatum per diſſolutionem facta.
Hujuſmodi Unguentum Ulcus, quod Anglice, *Crab-ſanes* vocatur, diſcutit.
Doctoris *CocKbaurni* Conſanguinei mei Epiſtola cum Hiſtoria.
Objectiones, ex eo quod Unguentum iſtud nihil novi afferat, ſolvuntur.
Quod illud *Fallipio* ne minime acceptum referam, ſed de proprio produxerim, confirmatur.
Qui pervulgatis (quantum fieri poteſt) Medicamentis utuntur, jis obloqui & obſtrepere, miſeri Agyrtæ eſt.
Agyrtarum Deſcriptio.

C A P. VI. Pag. 154.

Cryſtallinorum Curatio.
Cryſtallina ſunt de ſpecie *Carierum*, quæ ab Italis Medicis, in Morbi Gallici peritia facile Principibus, *Taroli* nominantur.
Curationis Methodus.
Excellentia hujus Methodi ab Experientia confirmatur.
Cryſtallina haud tantum periculi, quantum vulgo prædicatur, ferunt.
Muſitanus Nicotianæ ſpiritum approbat.
Ad Cryſtallina curanda Pharmacorum formulæ.

CAP. VII. Pag. 160.

PHimoſeos & Periphimoſeos curatio
Medicamina Empirica.
Medicaminum formulæ, quæ ſuppurationem & diſſolutionem afferunt.
Phimoſis in Fœminis.

F I N I S.

